DE LATINITATE

Q. SEPT. FLOR. TERTULLIANI

PRESBYTERI.

(PARS I.)

COMMENTATIO ADITIALIS PHILOLOGA

ORDINI PHILOSOPHORUM UNIVERSITATIS ERLANGENSIS SUMME REVERENDO
AD DOCTORIS GRADUM RITE IMPETRANDUM
PERCENSENDA PIE PROPOSITA

A

FRANC. JOS. SCHMIDT,
SCHOLAE LATINAE PRAECEPTORE.

FIDES NOMINUM SALUS EST PROPRIETATUM.
TERTULL. DE CARNE CHR. 13.

ERLANGAE
TYPIS E. TH. JACOB.
MDCCCLXXVII.

DE LATINITATE
Q. SEPT. FLOR. TERTULLIANI
PRESBYTERI.

(PARS I.)

COMMENTATIO ADITIALIS PHILOLOGA

ORDINI PHILOSOPHORUM UNIVERSITATIS ERLANGENSIS SUMME REVERENDO
AD DOCTORIS GRADUM RITE IMPETRANDUM
PERCENSENDA PIE PROPOSITA

A

FRANC. JOS. SCHMIDT,
SCHOLAE LATINAE PRAECEPTORE.

FIDES NOMINUM SALUS EST PROPRIETATUM.
TERTULL. DE CARNE CHR. 13.

ERLANGAE
TYPIS E. TH. JACOB.
MDCCCLXXVII.

Christianae doctrinae vi magnum quasi ab integro saeclorum natum esse ordinem non solum in moribus institutisque Romanorum sed etiam in litteris eorum et solutae et numeris vinctae orationis negari nequaquam potest. Quae cum post brevem viriditatem marcescerent et, ut ita dicam, velut in opaco situm quendam ducerent ex argenteae quam vocant latinitatis vitiis, eorum qui Christianam doctrinam amplexi erant quidam docti novam quandam et adventiciam Latine scribendi rationem ingressi sunt, quae, cum externis atque importatis maxime adminiculis progrederetur, a genuina ac quasi domestica antiquae orationis Latinae virtute quam maxime recessit et pro origine sua ut dicam transmarina valetudinem illius iam non integram labefactavit et infirmavit. Universitatem enim generis humani cum amplexura esset disciplina Christiana, ne in litteris quidem latinitatis translaticiae et quasi publicae angustis finibus se circumscribi passa est, sed altius evolatura orationis instrumenta aut immutata aut etiam extrinsecus alicunde petita non modo non respuit, sed facile libenterque admisit. Hunc orationis Latinae novum habitum incognitumque prioribus colorem paulum perscrutari haud pigebit homines litteratos secum reputantes, quam multa inde et nostrae eruditionis adiumenta et linguarum illarum quae a Romana lingua originem duxerunt incrementa et latinitatis illius, quae dicitur ecclesiastica, profecta sint subsidia. Etiam theologicae disciplinae studiosis ex usu fore speramus, quaestio si instituitur, quanta adiumenta ecclesiastica oratio inde ceperit vocum aut iam exstantium in suum usum assumptione aut novarum conformatione facta. Qua in quaestione tantum abest, ut ad desertarum regionum sterilitatem devio itinere avocentur harum litterarum studiosi, ut laetissime florentium amoenitas iis occurrat, cum singulari fortunae beneficio contigerit, ut non nascentium ac minutarum litterarum sed adultarum quasi et perfectarum speciem prae se ferant huius latinitatis initia, id quod Minucii Felicis scriptura docet atque

Septimii Tertulliani libri, quos huius litterarum generis duces et esse et haberi constat.

Hos patrum eccl. principes duos posteaquam aggressus sum pernoscere ac pertractare, ad eius viri legendos libros animus in dies magis inflammatus meus tractus vel potius mirifice raptus est, quem Hieronymus (Catal. 53) „primum Latinorum (sc. scriptorum eccl.) ponens" his verbis satis scite et commode (in Epist. 83 ad Magn.) describit: „Quid Tertulliano eruditius, quid acutius? Apologeticus eius et contra Gentes libelli cunctam saeculi obtinent disciplinam." In huius libris vel mediocriter versatus quam eruditionis subtilitatem, quam multiplicis doctrinae ubertatem in eo inveni! quam multis illum litteris instructum, quam reconditaram penitusque abstrusarum rerum disputationis copia et facultate politum, quam et in antiquitatis et divinarum litterarum pertractatione versatum cognovi! Jam vero idem penitus pervestigatus accuratiusque pervolutatus vix dicere possum quam mihi visus sit argutus „totius retro vetustatis" existimator „omnisque litteraturae sagax," alter quasi Irenaeus „omnium doctrinarum curiosissimus explorator." Quid ergo mirum, quod quicunque veterum Patrum eccl. eius mentionem faciunt exsultanti et quasi triumphanti oratione eruditionis illius laudes copiosissime persequuntur? *)

Nec minus dicendi illius sentiendique ratione nescio quo pacto delectatus sum. Divino quodam afflatu perfusa oratio eius mihi videbatur esse, non fucato candore illita sed sanguine plurimo

---

*) Vincent. Lirin. (Commonitor. 24): „*Sicut Origines apud Graecos, ita hic apud Latinos nostrorum omnium facile princeps iudicandus est. Quid enim hoc viro doctius? quid in divinis atque humanis rebus exercitatius? Nempe omnem philosophiam et cunctas philosophorum sectas, auctores assertoresque sectarum omnesque eorum disciplinas, omnem historiarum ac studiorum varietatem mira quadam mentis capacitate complexus est. Ingenio vero nonne tam gravi ac vehementi excelluit, nt nihil sibi paene ad expugnandum proposuerit, quod non aut acumine irruperit aut pondere eliserit? Jam porro orationis suae laudes quis exsequi valeat? Quae tanta nescio qua rationum necessitate conserta est, ut ad consensum sui quos suadere non potuerit impellat. Cuius quot paene verba, tot sententiae sunt; quot sensus, tot victoriae. Sciunt hoc Marciones, Apelles, Praxeae, Hermogenes, Judaei, Gentiles, Gnostici ceterique, quorum ille blasphemias multis ac magnis voluminum suorum molibus velut quibusdam fulminibus evertit.*" — Praeter hunc cf. Lactant. Instit. V, 1, 23; Rufin. Hist. Eccl. II, 2; Euseb. Hist. Eccl. II, 2; Praedestinat. Haer. 26.

medullisque impleta calamistris nusquam adhibitis, nunc incondita et quasi horrida et incompta, nunc exsultans et luxurians ac nonnunquam ad poëtarum orationem prope accedens*); nusquam sonitus verborum inanis nulla subiecta sententia, nusquam verborum argutiae assumptae et adscitae; ubique vis dicendi copiosa, gravissimarum sententiarum ubertas**), ubique non ingenii solum sed etiam animi vis concitatissima et mira quadam dicacitate condīta crebroque ad tantam acerbitatem exaggerata, ut huius libri quidam non atramento sed felle conscripti videantur esse. Quare suspicitur (a me) Tert. in „Apologetico“, laudatur in „Orationis“ libello, amatur in „Testimonio animae;“ in omni libro, in omni scriptura venerabilis est.

Neque tamen in huius librorum lectione me fugit, quibus laboret vitiis dicendi oratio eius quibusque spinis sit obsita, neque me fefellit dictionem eius, ut sit multum obscura atque caliginosa, scatere quasi nervis lacertisque, atque abalienatam non modo a pura incorruptaque sermonis Ciceroniani integritate, sed etiam ab aequalium scriptorum proprietate et oneratam magis salibus facetiisque quam ornatam farraginem quandam latinarum et externarum vocum

---

*) cuius oration ne venustatem quidem quandam poëticam deesse hic unus locus doceat *(R. C. 12)*: „*Adspice nunc ad ipsa quoque exempla divinae potestatis. Dies moritur in noctem et tenebris usquequaque sepelitur. Funestatur mundi honor, omnis substantia denigratur. Sordent, silent, stupent cuncta, ubique iustitium est, quies rerum. Ita lux amissa lugetur. Et tamen rursus cum suo cultu, cum dote, cum sole, eadem et integra et tota universo orbi reviviscit, interficiens mortem suam, noctem, rescindens sepulturam suam, tenebras, haeres sibimet exsistens, donec et nox reviviscat cum suo et illa suggestu. Reaccenduntur enim et stellarum radii, quos matutina succensio exstinxerat; reducuntur et siderum absentiae, quas temporalis distinctio exemerat; reornantur et specula lunae, quae menstruus numerus attriverat. Revolvuntur hiemes et aestates, verna et autumna cum suis viribus, moribus, fructibus. Quippe etiam terrae de caelo disciplina est arbores vestire post spolia, flores denuo colorare, herbas rursus imponere, exhibere eadem quae absumpta sint semina, nec prius exhibere quam absumpta. Mira ratio: de fraudatrice servatrix; ut reddat, intercipit; ut custodiat, perdit; ut integret, vitiat; ut etiam ampliet, prius decoquit. Si quidem uberiora et cultiora restituit quam exterminavit; re vera fenore interitu, et iniuria usura, et lucro damno. Semel dixerim, universa conditio recidiviva est.*“ —

**) ut in ipsius dictionem quadret, quod de oratione Christi dicit: „*quantum substringitur verbis, tantum diffunditur sensibus.*“ *(Or. 1.)*

esse repugnantem et adversantem verae latinitatis naturae usque eo, ut omnibus temporibus propter incuriam purae et incorruptae dicendi consuetudinis indignationem ac stomachum philologorum moverit *). Sed haec vitia me non pupugerunt, ut qui candidum ingenium anteponam candido dicendi generi et vocum sententiarumque conformationes quamvis inauditas et iusto audaciores ignoscam ei, quem ut conditorem non solum ecclesiasticae latinitatis sed etiam tanquam propagatorem quendam latinitatis universae finium ex animo suspicio ac veneror. Qua autem ratione hac de utraque latinitate optime sit meritus, hac commentatione aliqua quidem ex parte explicare mihi proposui, tametsi non sum theologus neque ordini sacerdotali adscriptus, sed unus ex plebe evangelicae ecclesiae idemque congrex sodalitatis philologae, usque adeo degeneratus, ut in ipsa „monstra ista inaudita" verborum illustranda studium operamque contulerim, cuius primitias abhinc complures annos primum in lucem a me editas iam in emendatiorem ac multo pleniorem formam hac commentatione redegi.

Sed priusquam propositum ipsum aggrediar, praefulcienda quaedam et praemunienda videntur esse, quae silentio premere non possum animum inducere.

Perscrutanti primordia Latinarum litterarum eccl. divinitus quodammodo id factum mihi videtur esse, quod in ipso harum introitu causidici duo constituti sunt, Minucius Felix et Septimius Tertullianus, qui, quo diverso erant ingenio imbuti, diversam inierunt rationem causae Christianae agendae et apologeticis libris defendendae, ille dictionis placido aequabilique flumine eodemque emendatiore et elegantiore, hic dicendi genere concitatissimo et ex ingenii luxurie nimium exaggerato atque a vetere latinitate quam maxime remoto, ille in scribendo auctoritatem Romanorum philosophorum, Ciceronis et Senecae, secutus,

---

*) En huius bilis philologae effusionis specimen ex Ruhnkenii Praef. ad Schelleri Lexicon: „*Sit Tertullianus quam velis eruditus, sit omnis peritus antiquitatis, nihil impedio: Latinitatis certe pessimum auctorem esse aio et confirmo. . . Fecit hic quod ante eum arbitror fecisse neminem. Etenim cum in aliorum vel summa infantia tamen appareat voluntas et conatus bene loquendi, hic nescio qua ingenii perversitate cum melioribus loqui noluit et sibimet ipsi linguam finxit duram, horridam Latinisque inauditam, ut non mirum sit per eum unum plura monstra in linguam Latinam quam per omnes scriptores semibarbaros esse invecta.*"

hic Iustino, Irenaeo, aliis peregrinis (cf. Val. 5) ducibus usus. Sed in hac studiorum diversitate in hoc quidem inter se congruunt, quod campus, in quo excucurrit utriusque dicendi virtus, „divinarum humanarumque rerum notitia, iusti atque iniusti scientia," i. e. iuris prudentia (Dig. 1, 1, 10) fuit, unde profecti Christianarum litterarum parentes ac conditores facti sunt.

Ex horum utriusque apologeticis libris uter aetate antecederet, iam apud ecclesiae Patres, Hieron. (Minuc. postponentem in libro „de viris illustr.") et Lactant. (praeponentem in „Instit.") in controversia fuit, quae nuper dirempta mihi videtur esse A. Eberti opera, sodalis societatis litterarum Saxonicae, qui illo libello, quem de necessitudine Minucio cum Tertulliano intercedenti conscripsit (Lips. 1868), Minucio prioratum adiudicavit egregie probans Tertull. in Apologetico suo illum esse secutum. Cuius disputationis argutae in clausula cum diversitatem inter Minucii Tertullianique ingenia exstantem acutissime exponat, ipsius verba huc afferre libet: „Wenn hienach also der den beiden ältesten lateinischen Apologieen, die am Eingang der christl. lat. Litteratur stehen, gemeinsame litterarische Werth gleichsam eine Bürgschaft für die eigenthümliche und selbstständige Entwicklung ist, welche diese nehmen sollte, so gibt sich zugleich in der individuellen Verschiedenheit der beiden Werke schon jene doppelte Richtung kund, in der diese Litteratur sich bewegt hat: auf der einen Seite vollkommene Geringschätzung der Form als solcher, die keine Bedeutung und Berechtigung an sich hat *), ebensowenig als von demselben Stand-

*) Quod quam recte dicatur, hae Patrum aliquot hac de re voces a me allatae probent: *Ambros. (in ev. Luc. II)*: *„Si ipsi philosophi, qui totos dies in disputatione consumunt, minus Latinis et receptis usi sermonibus sunt, ut propriis uterentur: quanto magis nos negligere verba debemus, spectare mysteria quibus vincit sermonis vilitas, quod operum miracula divinorum nullis venustata sermonibus veritatis suae lumine refulserunt!" Arnob. (adv. Gent. I, 58. 59): „Trivialis ac sordidus sermo est. Nunquam enim veritas sectata est fucum. . . Barbarismis, soloecismis obsitae sunt, inquit, res vestrae et vitiorum deformitate pollutae. Puerilis sane atque angusti pectoris reprehensio, quam si admitteremus ut vera sit, abiciamus ex usibus nostris quorundam fructuum genera, quod cum spinis nascuntur et purgamentis aliis. . . Qui enim minus id quod dicitur verum est, si in numero peccetur, aut casu, praepositione, participio, coniunctione? Pompa ista sermonis et oratio missa per regulas concionibus, litibus, foro iudiciisque servetur." — Augustin. (de Doctr. chr. III, 3): „Plerumque loquendi consuetudo vulgaris utilior est significandis rebus, quam integritas litterata."*

punkt der Leib der Seele gegenüber, auf der andern das Streben, die antike formelle Bildung zu erhalten und dem christlichen Genius zu assimiliren — die eine Richtung beeinflusst von antirömischen, namentlich orientalischen, die andere getragen von römisch-hellenischen Culturelementen: die letztere erscheint in Minucius, die erstere in Tertullian auf das Bedeutsamste repräsentirt.“

Etsi igitur Minucius praeter dialogi sui prioratum propter dispositionis diligentiam et incorrupti sermonis integritatem ad optimae latinitatis consuetudinem dicendi prope accedentem principatum quendam obtinet, tamen palmam deferre ad Tertull. nihil dubito, quaestio si instituitur, uter maioris fuerit momenti ad ecclesiae Latinae litteras condendas et Latinam linguam huic novae materiae accommodandam. Accedit quod Minucii non exstat nisi unus ille apologeticus liber unum litterarum genus unamque Christianae displinae necessitatem egregie quidem amplectens, Tertulliani eruditio multiplex excurrit in latissimum defendendi, aggrediendi, cohortandi, redarguendi campum. Nam ethnicorum criminationes retundere, somnia haereticorum discutere, catholicorum sive psychicorum languores excutere sibi proposuerat. Et fuit illo tempore, cum fides aestuaret et ecclesia augeretur et Gnostici erumperent et Valentiniani proserperent et omnes martyriorum refragatores ebullirent, ecclesiae Christi opus eo viro, qui suum esse putaret fidem munire, pacem gubernare, dilectionem adiuvare, humilitatem instruere, paenitentiam movere, exomologesin adsignare, carnem regere, spiritum servare, linguam frenare, temptationes inculcare, scandala pellere, martyria celebrare, pauperes consolari, divites temperare, infirmos reformare, aegros remediare, fideles delectare, gentiles invitare, servos dominis, dominos Deo commendare, feminas corrigere, viros emendare. His omnibus viri Christiani officiis Tert. quam optime satisfecisse presbyterum scripta eius docent. Artis quam ante professus erat causidici adiumenta et auxilia egregie in novum Christianae causae ministerium transtulit, ut dialecticus exercitatissimus, artifex struendi et destruendi, in sententis concisus, in argumentationibus sollers, homo „linguatissimus“ (ut hoc ipsius voc. utar), argumentator Christi ac Christianae veritatis multiformis, in causidicis patriae suae praecellens exstiterit, quam iam Juvenalis (VII, 148) „nutriculam causidicorum“ dixerat. Unde ut fervidum feraxque ingenium, sic a patre centurione animi ardorem illum militarem atque impetum accepisse videtur, quo latus vel potius raptus est in

certamen contra ethnicorum insectationes et haereticorum temptationes. Calceatus (ut ipsius verbis utar) de evangelii paratura, succinctus acuto verbo Dei, totus de apostolo armatus, de martyrii candida coronatus bonum illum decertavit agonem, in quo agonothetes Deus vivus est, epistates Christus Jesus, xystarches spiritus sanctus, donativum carcer, corona aeternitatis, brabium angelicae substantiae, politia in caelis, gloria in saecula saeculorum. Odio vere Africano Romam, „sanctorum debellatricem“ persecutus Capitolium illud, „omnium daemonum templum,“ eorum conventu acerbissime „decachinnando“ spoliavit, Romanitatem, „castra illa tenebrarum,“ spiritalibus armis impugnavit.

O militem vere beneficiarium a Deo ipso auctoratum, in Deo gloriosum! O martyrium eius vel sine passione perfectum!

En exemplar speciosum columnae immobilis ecclesiae, censoris acerrimi disciplinae, fidei intrepidi professoris, evangelii fidelissimi praeconis, vasis divinae electionis! alter P a u l u s, qui id, quod „riserat aliquando (cf. Ap. 18) „sine domini lumine“ (Paen. 1), acerrime defenderet ab iis, „de quibus ipse fuerat“ (Ap. 18), idemque L u t h e r i nostratis quasi praecessor quidam, qui „invidia et contumeliis clericorum Romanae ecclesiae ad secessionem delapsus“ (Hieron. Catal. 53), qui i u s t u s esset h a b i t u s et n a t u r a ecclesiae Christi*), ac vera traditionis credendi et vi-

*) *E. C. 7: Nonne et laici sacerdotes sumus? „Scriptum est (Apoc. I, 6): Regnum quoque nos et sacerdotes deo et patri suo fecit. . . Ubi tres, ecclesia est, licet laici. Unusquisque enim sua fide vivit nec est personarum exceptio apud deum.“ — Mon. 12: „Omnes sumus sacerdotes, quia sacerdotes nos deo et patri fecit.“ — Pud. 21: „De tua nunc sententia quaero, unde hoc ius (sc. veniae delictorum dandae) ecclesiae usurpes. Si quia dixerit Petro dominus: Super hanc petram aedificabo ecclesiam meam, tibi dedi claves regni caelestis, vel: Quaecunque alligaveris vel solveris in terra, erunt alligata vel soluta in caelis, idcirco praesumis et ad te derivasse solvendi et alligandi potestatem, id est ad omnem ecclesiam Petri propinquam? Qualis es, evertens atque commutans manifestam domini intentionem p e r s o n a l i t e r hoc Petro conferentem? Super t e, inquit, aedificabo ecclesiam meam, et, Dabo t i b i claves, non e c c l e s i a e, et Quaecunque solveris et alligaveris, non quae solverint vel alligaverint (sc. claves). Sic enim et exitus docet. In ipso ecclesia exstructa est, id est, per ipsum, ipse clavem imbuit (i. e. serae inseruit). . . Adeo nihil ad delicta fidelium capitalia potestas solvendi et alligandi Petro emancipata. . . Quid nunc et ad ecclesiam et quidem tuam, psychice? Secundum enim Petri personam s p i r i t a l i b u s potestas ista conveniet aut apostolo aut prophetae. Nam et ipsa ecclesia proprie et principa-*

vendi ratio *), atque singularis proprietas Christianae fidei extrinsecus ad animum ipsum reformandum revocandae **), animis hominum maximeque clericorum gravissime inculcaret.

Tela autem et arma, quibus Tert. usus est in defendenda sua et impugnanda adversariorum causa, spiritalia erant, quippe qui „bellum spiritale spiritalibus armis spiritaliter debellaturus esset," hoc quoque in certandi genere Lutheri nostri simillimus. Huius igitur Christianae causae propugnatoris quasi armamentarium, unde tela sua ignita deprompsit, scrinium quasi Latinae linguae erat eiusque non genuinae, sed popularibus illius, Afris, usitatae, cottidianae quae dicitur sive rusticae et plebeiae atque in Africa

---

liter ipse est spiritus, in quo est trinitas unius divinitatis, pater et filius et spiritus sanctus. Illam ecclesiam congregat quam dominus in tribus posuit. Atque ita exinde etiam numerus omnis qui in hanc fidem conspiraverint ecclesia ab auctore et consecratore censetur. Et ideo ecclesia quidem delicta donabit, sed ecclesia spiritus per spiritalem hominem, non ecclesia numerus episcoporum. Domini enim, non famuli est ius et arbitrium, dei ipsius, non sacerdotis."

*) *V. V. 1: „Veritati nemo praescribere (i. e aliquam exceptionem opponere) potest, non spatium temporum, non patrocinia personarum, non privilegium regionum. Ex his enim fere consuetudo initium ab aliqua ignorantia vel simplicitate sortita in usum per successionem corroboratur et ita adversus veritatem vindicatur. Sed dominus noster Christus veritatem se, non consuetudinem, cognominavit. Si semper Christus, et prior omnibus, aeque veritas sempiterna et antiqua res. Viderint ergo, quibus novum est, quod sibi vetus est. Haereses non tam novitas quam veritas revincit. Quodcunque adversus veritatem sapit, hoc erit haeresis, etiam vetus consuetudo. Regula quidem fidei una omnino est, sola immobilis et irreformabilis, credendi scilicet in unicum deum omnipotentem . . et filium eius Iesum Christum. . . Hac lege fidei manente cetera iam disciplinae et conversationis admittunt novitatem correctionis, operante scilicet et proficiente usque in finem gratia dei. Quale est enim, ut diabolo semper operante et adiciente cottidie ad iniquitatis ingenia opus dei aut cessaverit aut proficere destiterit? cum propterea paracletum miserit dominus, ut, quoniam humana mediocritas omnia semel capere non poterat, paulatim dirigeretur et ordinaretur et ad perfectum perduceretur disciplina ab illo vicario domini, spiritu sancto. . . Quae est ergo paracleti administratio, nisi haec, quod disciplina dirigitur, quod scripturae revelantur, quod intellectus reformatur, quod ad meliora proficitur? Nihil sine aetate est, omnia tempus exspectant."*

**) *Ap. 18: „Fiunt, non nascuntur Christiani." — Pat. 12: „Dilectio summum fidei sacramentum, Christiani nominis thesaurus."*

quidem maturius et plenius quam alicubi etiam in scribentium usum receptae. Haec ex variis et latinitatis priscae et recentioris et aliunde petitis elementis collata lingua accommodanda erat explicandae et defendendae novae in Romanum imperium ingressae fidei et disciplinae. Quae cum prorsus novas quasdam notiones, religionis decreta, sacros ritus, instituta moresque in lucem proferrent, novas quasdam harum rerum appellationes requisiverunt. Accessit autem certaminis necessitas cum ethnicorum doctissimis hominibus ineundi de reconditissimis penitusque abtrusis et novae doctrinae et universae theologiae locis quaestionibusque dialecticae arte tractandis. Cui muneri explendo vix par esse visa lingua Latina est vocabulorum imprimis abstractorum quae dicuntur et ad exercendam dialecticam maxime necessariorum semper parum ferax. Optimae enim latinitatis scriptores novas voces et antehac incognitas fingere animos non induxerunt nisi gravate et cum fastidio quodam, unde nata est illa tanta „verborum paupertas, immo egestas“ et „angustiae Romanae,“ quas Seneca (Ep. 58) conqueritur quibusque in exercenda philosophia laborat. Itaque omnibus temporibus Romanorum scriptores in linguae Latinae ad fingendas novas voces satis aptae copia verborum augenda desudabant, neque argenteae quidem aetatis imprimis poëtae abhorrebant a Graecanicis quoque vocabulis suis ipsorum ingerendis. Haec necessitas et novas fingendi voces et externa adsciscendi linguae adiumenta et adminicula fieri non potuit quin maxime Christianis scriptoribus Latinis exsisteret per se ipsis, ut supra diximus, orationis integrae et elegantioris incuriosis. His facem praetulit Tertullianus ita, ut et novas voces fingere et vocum iam exstantium significationes aut mutare aut amplificare et externas et adventicias in suum usum adhibere nihil reformidaret hac in dicendi ratione ipsius Ciceronis auctoritate usus quodammodo *). Hoc modo oratio eius quamvis inquinata „auctrix et initiatrix“ prorsus novi dicendi generis, ecclesiastici, evasit eandemque ad locupletandam linguam Latinam universam permultum valuisse vix quisquam

---

*) *Cic. de fin. III, 2, 5: „Quodsi in (Graeca) lingua concessum est, ut doctissimi homines de rebus non pervagatis inusitatis verbis uterentur, quanto id magis nobis est concedendum, qui ea nunc primum audemus attingere?“ ibid. III, 1, 3: „imponenda sunt nova rebus novis nomina;“ et N. D. I, 17, 44: „sunt enim rebus novis nova ponenda nomina.“*

infitiabitur. Quod qui factum sit, in substantivorum quidem nominum ambitu demonstrare huius commentationis argumentum ac summa est. Qua in quaestione instituenda percommode accidit, quod in perlustranda Tert. oratione in veterrimam quandam scripturae sacrae interpretationem Latinam incidimus persaepe, quam ad illius orationem magnam vim habentem non possumus non hac quidem ex parte perstringere atque attingere. Nam eo ipso in Tert. libris sane singulare aliquid inesse patet, quod veterrimam scripturae sacrae translationem Latinam nobis carptim quidem offerunt. Omnibus enim in quaestionibus et disciplinam et doctrinam Christianam pertractantibus Tertullianus scripturam sacram et testem et iudicem constituens ita Latine reddit, ut plerique homines docti iique in Tert. libris legendis versati adducti sint, esse eius interpretationem scripturae sacrae eandem, quam Augustinus nomine Italae ab aliis scripturae sacrae interpretationibus distinguit et propter verborum tenacitatem atque perspicuitatem sententiae" laudat *). Et sunt hae virtutes propriae huius scripturae sacrae interpretationis Latinae antiquissimae, cum eadem insignis ad dicendi genus sit permultis soloecismis et barbarismis **) atque congerie quadam priscorum, novorum, rusticorum, poëticorum vocabulorum pro natura Latine dicendi consuetudinis eorum, qui Africam tum incolebant. De cuius neque patria neque auctore viri docti consentiunt, cum alii eam in Africa, alii in Italia ortam esse dicant, alii Tertullianum ipsum auctorem eius esse velint, alii contendant esse illam translationem iam exstantem et Africae imprimis ecclesiae usitatam a Tert. in suum usum assumptam, quae quidem coniectura nobis maxime probatur. Omnes utique conveniunt hanc scripturae sacrae interpretationem maximi momenti esse ad ponderandam Tert. dictionem, quare ut perspicuum sit, quantam illa vim ad Tert. sermonem inquinatum habuerit, ipsius et illius proprietates distincte proferemus. Praeterea huius veterrimae Latinae scripturae sacrae interpretationis dicendi modum, ut eius „verborum tenacitas"

---

*) *Aug. Doct. chr. II, 16*: „*In ipsis autem interpretationibus Itala ceteris praeferatur: nam est verborum tenacior cum perspicuitate sententiae.*"

**) quam integritatis sermonis incuriam Augustinus defendit cum diceret (Locut d. Ps. 50): „*maluit pius interpres minus Latine aliquid dicere quam minus proprie.*"

magis eluceat et appareat, quid intersit inter Tert. et Hieronymi scripturae sacrae translationem, collaturi sumus cum Hieronymianae sive Vulgatae posthac in universae ecclesiae Romanae usum receptae dicendi consuetudine.

His praemissis iam latinitatem ipsam Tert. aggrediamur, cuius universam naturam describere supersedemus, quippe quae in omnibus maioribus Latinarum litterarum et cunctarum (cf. Bernhardyi, Teuffelii etc.) et ecclesiasticarum (cf. Eberti, Alzogii etc.) recognitionibus conscriptis adumbrata sit. Immo eam illius partem pertractaturi sumus, quae copia verborum huius scriptoris propriorum continetur, quorum recensione instituenda docturi sumus, meruisse Tertull. egregie cum de locupletanda Latina lingua universa tum de condenda ecclesiastica oratione. Omnium autem verborum copiam ex Tert. quasi officina profectorum una perlustrare uberrimo illorum apud illum proventu prohibemur, quapropter hac quidem commentatione satis habere cogimur, nominum substantivorum ambitum percurrere, ceterarum autem orationis partium quas grammatici dicunt recensum in aliam commentationem posthac vulgandam reservare.

Nam breviarium quoddam sive summarium Tert. latinitatis copiam quidem verborum eius complectens construere nobis est in animo. Hoc propositum ita exsequendum videtur nobis esse, ut initium fiat a Tertulliani in vocabulorum declinatione proprietatibus congerendis. His subiungere libet insolentias eius in numeri ac generis vocum usu proprias; has excipiant nomina abundantia, quae dicuntur, et indeclinabilia a Tert. usurpata. Quibus disputationi nostrae ipsi exordii loco praemunitis ea ipsa nomina subst. congerere et pro suis quaeque terminationibus digerere libet, quae aut solus aut primus portulisse invenitur. Horum singulis generibus interserendae videntur esse notiones vocum apud Tert. a ceterorum scriptorum usu discrepantes, quibus maiorem perspicuitatem ita afferri putamus, ut distinctio quaedam fiat vocum. Principalem enim locum earum vocum inquisitioni concedemus, quae ad Christianae religionis decreta vel instituta spectant, alterum earum, quae Tert., ut fuit „vir et legum et institutionum Romanarum peritissimus“ (cf. Rufin. Hist. eccl. II, 2), ex forensi dicendi usu assumpsit, tertium iis vocibus tribuemus, quas Tert., ut fuit acerrimus causae Christianae propugnator, ex militari dictione deprompsit, quam illum ut Christianorum causae agendae commodissimam in suum usum praecipue assumpsisse

docebimus *); haec subsequantur vocum notiones varii generis eaeque insolitae. Agmen claudent vocabula Graecanica et barbara alia in ecclesiasticum aut philosophicum dicendi usum a Tert. primo assumpta. Huius operae tanquam „centonariae", praesertim cum sit subsiciva praeceptoris muneris negotiis districti et ramenta quasi studiorum nostrorum, eam esse molem apparet, ut, si quid sit praetermissum neque ad amussim perfectum aut obiter carptimque perstrictum, veniam legentium non defuturam esse spes sit **).

Si quis autem philologorum offendatur latinitatis Tert. in-

*) Quam frequenter versatus sit Tert. in comparanda ecclesiae Christ. condicione cum militia quadam, hi doceant loci: „*Mart. 3: Vocati sumus ad militiam dei vivi iam tunc, cum in sacramenti verba respondemus; Or. 19: militia dei sumus; Id. 19: non convenit sacramento divino et humano, signo Christi et signo diaboli, castris lucis et castris tenebrarum; E.C. 12: nonne et nos milites sumus? eo quidem maioris disciplinae, quanto tanti imperatoris? Scorp. 10 et Mc. III, 9 et An. 35: vitae huius (carnis) commeatus (brevis); Or. 19: statio (= oratio Chr.) de militari exemplo nomen accepit; Cor. 11: Ipsum (sc. Christianum) de castris lucis in castra tenebrarum nomen deferre transgressionis est.*"

**) Huc congerenda sunt librorum Tert. vel auctorum aliorum nomina a nobis his notis allata: Mart. = ad martyras; Sp. = de spectaculis; Id. = de idololatria; Ap. = Apologeticum; Nat. = ad nationes libri II; T. A. = de testimonio animae; Cor. = de corona; F. P. = de fuga in persecutione; Scorp. = Scorpiace; Scap. = ad Scapulam; Or. = de oratione; Pat. = de patientia; Bapt. = de baptismo; Paen. = de paenitentia; Ux. = ad uxorem libri II; C. F. = de cultu feminarum libri II; E. C. = de exhortatione castitatis; Mon. = de monogamia; Pud. = de pudicitia; Iei. = de ieiunio; V. V. = de virginibus velandis; Pall. = de pallio; P. H. = de praescriptione haereticorum; Mc. = adversus Marcionem libri V; Herm. = adversus Hermogenem; Val. = adversus Valentinianos; C. C. = de carne Christi; R. C. = de resurrectione carnis; An. = de anima; Prax. = adversus Praxean; Iud. = adversus Iudaeos. — Nullam habuimus rationem librorum et carminum suppositiciorum Tert. — Itcf. = Italae codices et fragmenta; Eccl. = scriptores ecclesiastici; I. C. = iuris consulti; Aug. = Augustinus; Hier. = Hieronymus; Ambr. = Ambrosius; Mt. = Matthaeus; Io. = Ioannes; LXX = septuaginta illorum Alex. veteris testamenti interpretatio Graeca; scr. scr. = scriptura sacra. — It. (— ala) significabimus locos eos, quos Tert. ex scr. scr. Latine affert; et nota cr. eos, quorum lectio anceps est. — Numeri sunt editionis Oehlerianae ea nondum exstante emendatiore, quam Academia litterarum Vindobonensis se exhibituram esse promisit, in libro autem, qui est de Spect., editionis Klussmannianae nuperrime vulgatae (= Kl.)

aequali ac multiformi qualitate, is secum reputet velim haec verba, quae leguntur in praefatione interpretationis Latinae Psalterii a Christianorum sacrorum antistite quodam abhinc sex annos editae:

„Dictio non redolet Nasonem sive Maronem;
„Ne tamen id graviter, lector amice, feras.
„Mythica dispersit commenta ecclesia Christi,
„E verbo Domini prodiit aera recens.
„Ipsa novis formis et significatibus usa
„Romanae linguae largiter auxit opes.
„Si quis amat scribi solum Ciceronis ad instar,
„Ex Augustino verba retracta pavet.
„Nec poterit purum Latii servare colorem
„Tradere Semitico chromate tincta volens.
„Difficilis puri studio nimis esse caveto,
„Disce Melanchthonicam praxin in hisce sequi!“

Caput 1.

De insolentiis in nominum declinatione Tert. propriis.

§. 1. Ex primae declinationis vocabulis haec digna videntur memoratu: Iud. 1 legimus gen. plur. *Israëlitûm,* quae per concisionem facta terminatio gen. plur. in latinitate argentea saepe invenitur in appellationibus gentium tam Graecarum quam barbararum. — Dat. et abl. plur. *filiabus* (sine apposita masculina forma *filiis*) legis Nat. II, 10 et C. F. II, 6 ex consuetudine dicendi etiam ceteris non inusitata. — Aliae similes formae neque usitatae nisi posterioribus scriptoribus hae leguntur apud Tert.: *animabus* Mc. IV, 34; C. C. 8; R. C. 17; An. 33. 54. 56; Iud. 5; *mulabus* Ux. II, 8. — Graeca nomina primam declinationem sequentia hunc in modum protulisse invenitur Tert.: appellativa in *es* nom. sing. terminata haec apud eum legimus: *agonothetes* Mart. 3; (— am F. P. 1; — ā Scorp. 6); idiotes Prax. 9; (ceteri — a); *idololatres* Id. 1. 14. 24; Pud. 5. 18. It.; (— *en* Id. 1. 24; Pud. 5; — ā Id. 10); *levites* Cor. 9 (Vulg.; Prud.: — a); *patriarches* Cor. 9 (— *a* apud Vopisc. et Aug.); *pyctes* Scorp. 6; An. 46 (= Colum; — a Plin.); *xystarches* Mart. 3; zelotes Mc. I, 28; IV, 25. 27. 39; V, 7.; (— *en* Scorp. 5; Mc. II, 29; IV, 24. 25. 41; V, 16); nomina propria autem et gentilicia talia haec: *Ecclesiastes* (liber) V. V. 1; Mon. 3 (= Vulg.); *Marcionites* (= sectator Marcionis illius haeretici) P. H. 30; Mc. IV, 25; V, 9; (— *am* Mc. I, 14); *Israëlites* Mc. IV, 35; (— *en* ibid. 9); *Samarites* Sp. 30; Mc. IV, 35; An. 34; (— *am* et — *en* Mc. IV, 35; ibid.: *Samaritae* et *Samaritani*; *Samaritarum* Mc. III, 13 et IV, 23; at *Samaritanorum* F. P. 6 ter; et Iud. 9; *Samaritis* Iud. 9). In a haec finit appellativa: *apostata* Pud. 9; An. 57; *hypocrita* Mc. I, 14; *sophista* Val. 5; An. 28; et duplicem exitum et in es et in a habent haec duo apud eum: *plastes* Id. 3; et *plasta* Nat. I, 12; eadem duplex terminatio invenitur in usu vocis *prophetae* apud Tert. (et in Vulg.: cf. Deut. 13): *pro-*

phetes ex It. affertur Scorp. 2; Mc. IV, 12. 18. 22. 28; Prax. 14; Iud. 8; et ab ipso saepissime profertur: cf. Ap. 19; Cor. 9; F. P. 10; Pud. 10; Iei. 16; Mc. I, 21; III, 7. 20; IV, 9. 18. 22. 37; V, 3; Iud. 8. 10. 11 etc.; paulo rarius *propheta* ab ipso dicitur, cf.: Pat. 3; C. C. 2; R. C. 29. 52; Mc. III, 6. 18. 20; IV, 22; V, 17; Iud. 9. 10. 13 etc. Eiusdem vocis legis duplicem acc. sing.: *propheten* Mc. IV, 12. 18. 19. 23. 34; Id. 15; Iud. 11; Mon. 8; Pud. 19; An. 11; et *prophetam* Mc. III, 23 et IV, 22 ex It.; in ipsius usu: Iei. 16; Ux. I, 8; Prax. 16; Mc. II, 14. 18; III, 6. 17; IV, 18. 20. 22; V, 10; Herm. 22; Iud. 10. 13 (= Aug.). In *as* finit voc. illud adventicium *mammonae*: F. P. 12 *mammonas* (— *ae*, — *am* Mc. IV, 33). Feminina autem nomina propria Graeca finire maluit in *a* praeter vulgarem morem haec duo: *Erigona* Nat. II, 15 (— *am* Scorp. 10); et *Penelopa* Nat. II, 9; in *e* et in *a* exit apud eum nomen deae *Cybeles*, cuius legitur forma *Cybele* Ap. 15. 25; (— *es* Iei. 16; — *e* [dat.] Ap. 12) et *Cybela* Nat. I, 10. Aliorum nominum aliquot casus obliquos huc congerere libet ex Tert. usu: *Andromacham* Pud. 8; *Ariadnae* (dat.) Cor. 7; (— *am* Scorp. 10); *Circa* Sp. 8; *Hermionae*, *Mandanae*, *Pasiphaae* An. 46; *Omphales* Nat. II, 14; Pall. 4; *Philumenes* C. C. 6. 24 (virginis). In *a* autem terminat haec appellativa: *plastica* An. 43; Sp. 18; C. F. II, 2. 5; *poëtica* Nat. II, 13; *strongyla* Pall. 4; aliorum hos legis casus obliquos: *cataphracten* Pall. 4; *Pentecostes* (gen.) Or. 23; Bapt. 19; — *en* Id. 14; *e* (abl.) Bapt. 19; *parasceuen* Iei. 14. — In primam declinationem a Tert. solo deflexa haec duo nomina (ancipiti lectione) leguntur: *Amazona* Mc. I, 1 (at — *es* plur. Ap. 26) et *Sirenarum* Ap. 7. — Pro usitato nomine *minae* maluit dicere *mnam* (= Plin. et Vulg.), quam vocis formam P. H. 26 ex It. (Luc. 19, 20) deprompsisse videtur.

§. 2. In alterius declinationis vocibus hae leguntur dictionis Tert. proprietates: Vocis *dei* casus vocativus fere *deus* legitur apud Tert. (et in Vulg.) in crebris sententiis ex interpretatione eius scr. scr. allatis, cf. Prax. 25 et 30, ubi psalmographi verba illa (Ps. 22, 2) a Christo moribundo edita afferuntur: *deus meus, deus meus*, (= Vulg.) *ad quid me dereliquisti*?; adde Mc. IV, 13; (*deus meus*, [= Vulg.] *clamabo per diem* Ps. 22, 3); Prax. 13 (= Ps. 45, 7); Mc. V, 9 (= Ps. 72, 1); An. 15 (= Ps. 51, 12). Tert. ipse uno loco (Mc. I, 29) vocativ. *dee* fingit, quam formam praeter eum Prud. solus semel profert. Interpretationis eiusdem vocat.

Timothee est, quem ex novi testamenti duobus locis (1 Tim. 1, 18 et 6, 20: *ὦ Τιμόθεε*; Vulg.: *o (fili) Timotheae)* P. H. 25 affert. Indidem assumptus vocativ. *populus* est (= *ὦ λαός* apud LXX) in compluribus ex vet. test. allatis locis: Mc. IV, 1 (*audite me, et populus meus et reges* = *λαός μου* Ies. 51, 4; Vulg.: *popule meus)*; ibid. 15: *(populus meus* = *λαός μου;* Vulg.: *popule meus)*, *qui vos beatos dicunt, seducunt vos* Ies. 3, 12); R. C. 27 *(populus meus*, [= Vulg.] *introite in cellas* Ies. 26, 20); ibid. 29 *(eveham vos de sepulchris vestris, populus meus* [= Vulg.] . . . *et eduxi vos de sepulchris vestris, populus meus* [Vulg.: *popule meus*] Ezech. 37, 12. 13); Mc. IV, 7 *(populus, qui sedetis in tenebris, videte lumen magnum* Jes. 9, 2); Jud. 3 (*vae, populus plenus peccatis*, *dereliquistis deum* Ies. 1, 4), quae vocativi forma iam apud Livium uno loco legitur (*audi tu, populus Albanus* I, 24). — Ex Graecis appellationibus, quarum singulis casibus Graecas terminationes affingere solet (cf. *Delos, Rhodos* Nat. I, 9; Pall. 2; *Tyros* Pall. 1; *Delon*, *Rhodon* Ap. 40; *Horon* Val. 9. 14; *Nun* ibid. 9. 28; *Nu* ibid. 19; *Nus, Theletos* ibid. 12) solum afferre libet accus. *Co* (cr.) Ap. 40, quae huius nominis insularis accus. forma Tert. solius est. — *Pelagus* et *cetus,* quae voces apud Graecos tertiam declinationem sequuntur, etiam apud Tert. secundae addicuntur his casibus: *pelagum* (acc.) Iud. 3 (= Prob.); *ceti* (gen.) Or. 17; R. C. 32 (= Manil., Vitruv., Aug., Mart. Cap.); *cetos* (acc. plur.) Herm. 22 (ex It.: *et fecit deus c. magnos* = *τὰ κήτη τὰ μεγάλα* Gen. 1, 21; Vulg.: *cete grandia*). — *Pavo* et *scorpio,* voces tertiae declinationi fere addictae, apud Tert. secundam sequi solent mutata terminatione in us: *pavus* (prisco more) Pall. 3. 5; R. C. 1; An. 33 (ter) = Arnob. et Auson., (at Nat. I, 19 *pavone*, crit.), et *scorpius* Scorp. 1. 10; Mc. IV, 24. 26 = Ovid. — Nomen *caeli* cum plurali numero non aliter et apud Tert. et apud ceteros scriptores eccl. legatur nisi *caeli* mutato genere (cf. Prax. 19; Scorp. 10 et Mc. V, 15; Herm. 34 et multis aliis locis sententias scr. scr. afferentibus), vox *autumni* numero plur. uno loco (R. C. 12) legitur *autumna* (= Cypr. ad Demetr. 3). Denique *capulum,* non *capulus,* praeter ceterorum morem a Tert. illud feretrum vocatur, quo defunctorum corpora efferuntur (= germ. Sarg) Pud. 14 (*c. tabiosum*); R. C. 32; (cf. Non. 1, 13).

§. 3. Pergamus deinde ad eas tertiae declinationis voces,

quarum formae quaedam a Tert. prolatae discrepant a ceterorum scriptorum dicendi consuetudine. Terminationis mutationes hae apud eum sunt: Nat. I, 9 et Scorp. 13 (ex It., crit.), nom. *famis* legitur, quae vocis terminatio exstat apud Varr., Val. Max., Prudent; ipse dicit Iei. 12 fames. — Semel (An. 46) pro vulgari forma *diluvium*, quam fere affert (cf. Mon. 15 et Bapt. 8 et An. 38), formam *diluvio* dicere maluit (= Censorin.). — Pro usitata forma nominis *trabis* Pall. 1 priscam illam *trabes* legimus, quae ex Ennio a Varr., Cic., Prisc. citatur neque Plinianae atque Italae dicendi consuetudini insolita est. — Prax. 12 (ex It.) legimus *luminare* (= lumen) pleniore forma littera e adaucta (= Vulg.), et An. 53 simile vocabulum at non exiens in e, *specular*.

Levior formae mutatio inest in voc. *consationis* (Cic.: *consitio*) Nat. II, 11, et *consparsionis* (= Vulg.), cui voci ex Itala depromptae (Pud. 13; Mc. IV, 24; V, 7; Val. 31 cr.) aliis locis (Pud. 18, et Mc. V, 7) indidem substituta vox *conspersionis* legitur, quibus in vocabulis nihil mutatum est nisi lit. vocalis alioquin usitata i. Similem unius lit. vocalis mutationem legis in voc. *eiurationis* (Pud. 1), pro qua sollemni forma Sp. 4 *eieratio* legitur, itemque Id. 20 et Paen. 4 *deieratio*. — Simili usus inaequalitate legis Paen. 11 *asperitudo*, at C. F. II, 8 *aspritudo* (cr.), et Id. 12 *pignera* (cr.), at Or. 8 et Cor. 7 et Nat. I, 15 *pignora*, Sp. 8 *cors* (Kl., cr. = cohors = septum). Una cum Varr., Cic., Arnob., Lact., Aug. flectit *iecur* in *iecoris* (An. 48, 53) et *iecora* Mc. III, 18 (It.), at contra usum Plinii *aquilex* in — *icis* Mc. III, 5, non in — *legis*, pariter ac Serv. (ad Verg. G. I, 109.) — Convenienter consuetudini Celsi, Gellii, Solini Pall. 3 bis genetivum *chamaeleontis* fingit (et An. 32 *chamaeleontes*), cum Plinius paene ubique *chamaeleonis* dicat. —

Accusativus singularis anceps in nomine *pelvis* legitur, cuius acc. *pelvim* (cr.) Herm. 19 legis (et apud Cat. et Varr.), at Cor. 8 *pelvem* more ceteris usitatiore. — Plurimorum in usu cum sint acc. formae *turrim* et *securim*, Tert. (An. 17 et Prax. 16) *turrem* dicit (itemque Caes. quater, Liv. ter, Curt., Suet., Flor., Aug.), et *securem* Poen. 4 (cr.), Mc. I, 29 (= Cic. semel, Varr., Senec., Val. Max., Lact., Amm., Prud.). — Eandem terminationem em praefert in voc. *sementis* (Mc. I, 29; E. C. 6) plurimorum usum secutus. — Vocum Graecanicarum *aëris* et *aetheris* accus. sing. vulgaris cum sit Graeco more *aëra* et *aethera*, Tert. duplicem formam profert modo *aërem* dicens An. 54 (bis),

Mc. I, 13; Sp. 27; Pall. 3, An. 3 (= Senec., Spart., Aug.) et *aetherem* (Mc. I, 13; An. 54) (= Serv. ad Virg. A. I, 58; ceteri: *aethera*), modo ex Itala (= Vulg.) afferens *aëra* R. C. 41 (*rapiemur in nubibus obviam domino in aëra 1 Thess. 4, 17*), qui idem locus ex It. Mc. V, 15 (cr.); R. C. 24; An. 55, citatur, ubi *aërem* legis. — Graeca terminatione *a* in accus. sing. persaepe Tert. sicut ceteri scriptores in nominibus propriis utitur Graecis, velut *Persea, Cephea* (Scorp. 10), *Thesea* Nat. II, 14 etc., itemque terminatione in, velut *iaspin* Mc. II, 10 (It.), *Sunamitin* (Vulg.: *Sunamitidem* 2 Reg. 4) Mc. IV, 24 etc., neque tamen Latinam terminationem *em* in talibus voc. reicit, cf. *Ogdoadem* Val. 7. 35. 38; (ibid. 26: *Ogdoada*); *Soterem* (Val. 12. 16. 19. 26); *Tetradem* Val. 7; *Aeonem* ibid. 32. 36; Etiam in acc. plur. plurimorum usum secutus est Graecis nominibus terminationem Graecam *as* tribuens, cf. *Cebetas* et *Phaedonas* An. 1; *Aeonas* Val. 19; *Cretas* (ibid. 20); *Lacedaemonas* Mart. 4; *Phrygas* Nat. I, 8; *Samothracas* Sp. 8; *Symplegadas* Mc. I, 2; *Titanas* Cor. 7; *Zenonas* Pall. 5 etc.; non solum in nominibus propriis, sed etiam in appellativis, cf. *agonas* Scorp. 6; *archontas* Mc. III, 13 et IV, 27; *heroas* Nat. II, 7; *daemonas* Ap. 46, Sp. 10 (at Cor. 7: *daemones*); *martyras* P. H. 4; Pud. 22.

In i habent ablativum sing. apud Tert. et voc. *puppis* (R. C. 60) et voc. *imbris* (Ap. 5, cr.) ex usu Cic. et Liv. Praeter ceterorum morem fingit Pud. 16 abl. *secure* (cr.), et uno capite (Sp. 30) et igni et igne (cr.) dicit, frequentius *igni* (Nat. II, 2; An. 7; Jud. 3 etc.) — Genetivo plurali in ium desinunt hae duae voces apud Tert.: *iniquitatium* Sp. 2 et *voluptatium* Sp. 1 bis (= Cic., Liv., Sen., Vulg.), at *voluptatum* Scorp. 6 (cr.). — Contra usum ICorum (Ulp., Paul.) fingit C. F. II, 9 gen. plur. *dotum* (= Val. Max.), et Sp. 2 *fraudium* contra consuetudinem argenteae latinitatis, sed convenienter usui Cic., Apul., Ulp., Aus. — In um terminat eodem casu voc. *crucis* quater Ap. 16 bis (cr.) et Nat. I, 12 (bis), in *ium* autem voc. *stipis* Iei. 13 et *mancipis* Nat. II, 2; eademque terminatione finitur genetivo plur. vox *carnis* et apud Tert. (Iei. 5; It; R. C. 32) et apud Cael. Aurel. et Aug. — Genetivo *moenium* (= murorum) Livio, Plinio, Frontino probato Tert. solus praefert formam *moeniorum* (Mc. III, 24); uno loco et apud unum Tert. (Cor. 11) legis gen. plur. *munium* (= *munerum*), cum apud ceteros scriptores nihil aliud invenias nisi nom. et acc. *munia*. Minus sibi constat Nat. II, 11 (cr.) et An. 26 dicens *infantum* (cr.), at V. V. 14

infantium; et Nat. II, 5 *mensum* (cr.), at Iei. 2, 14; Mc. IV, 21; V, 6 *mensium.* In voce *sigillariorum* Tert. abl. utitur *sigillaribus* Or. 17.

Ablativum plur. voc. charismatis more ne prioribus quidem insolito Iud. 13. in *is* finit, Mc. V, 8 autem eiusdem vocis dativum plur. syllaba *ibus* terminat, itemque Id. 4 voc. phantasmátis et Nat. II, 5 *malagmatis* (cr.). E Varronis Saturis Tert. has apud ceteros scriptores inauditas plurales formas repetivit: Ap. 14 *Ioves sive Juppitros*, et Nat. I, 10 *Ioves seu Juppiteres,* quam Iovis declinationem in priscorum usu fuisse Priscianus (6, 7, 39) refert. — Inusitatior prioribus appellatio Plutonis dei legitur Nat. I, 10 (*Ditis Pater*), sed non apud Tert. solum, sed etiam apud Quintil., Petron., Apul. — Etiam rarius nomen *Lacedaemonum* = *—ii* est Mart. 4, quae Laconicae gentis appellatio non legitur nisi hoc loco et apud Mamert. — Latinam declinationem ipse quoque adhibet Phoeniciae illius mulieris appellationi, quae in o desinit, *Dido,* cuius dativum An. 33 *Didoni* finxit. — Vocativum appellationis *Socratis* edidit *Socrates* (An. 1), Apellis autem *Apelle* (C.C. 7). — Nominum *Serapis* et *Anubis* accusativus duplex legitur, *Serapem* (Nat. I, 10) et *Serapidem* (Ap. 6; Nat. II, 8), cf. dat. *Serapidi* (Ap. 6) et abl. *Serape* (Nat. I, 10); itemque *Anubem* (Nat. I, 10) et *Anubin* (Nat. II, 8). *Osiris* autem praeter consuetudinem aliorum (Plinii, Apul., Aug.) apud Tert. (Cor. 8 et Pall. 3) genet. *Osiridis* fingit. Similis inaequalitas inest in nomine *Oedipodis*, qui genetivus Nat. I, 7 legitur, sed eiusdem accus. *Oedipum* Ap. 9.

§. 4. Quartae declinationis his in vocabulis discessisse a priorum dicendi more Tert. invenitur: Ex Itala affert accus. *tonitruum* (= Vulg.) Herm. 32; Prax. 28; Mc. III, 6, quae vocis forma etiam Plin., Treb., Vopisci est. Pro legitima forma *abortus* (Val. 30) legitur An. 37 *aborsus* (et F. P. 9 *aborsibus*) a Nonio quoque commemorata. — *Arcus* s. *arquus* vox, quae quartam declinationem sequi solet, apud nonnullos (Lucr., Varr., Cic. semel) in secundam transfertur, etiam a Tert. dativo *arquis* dicenti (Nat. II, 15). Plerique scriptores cum gen. plur. vocis *ossis* faciant *ossium,* Tert. (itemque Pacuv. et Prud.) formam *ossuum* praefert R. C. 30 (ter); 31, 32 (sed ubique cr.); alioquin autem hanc vocem tertiae declinationi accommodat. Simili modo gen. *eduliorum* (= Apul.) dicere mavult Iei. 2, quam, ut

plerique dicunt, *edulium*, quam formam Mc. V, 19 usurpat. — Syncopen adhibet in gen. plur. *caelibatûm* Ux. 1, 7 et *eventûm* (cr.) Nat. 1, 16. — An. 10 abl. plur. voc. artus legitur (in plerisque codicibus) *artubus*, forma etiam ceteris scriptoribus non inusitata. Congruentur omnium usui Tert. abl. voc. tribus dicit *tribubus* Ap. 39; Mc. IV, 35.

Creber Tert. est in usu ablativi plur. nominum verbalium in us exeuntium, quorum quaedam apud alios rariora huc conferre libet: *adventibus* Ap. 21; *apparatibus* Sp. 12. 13; *affectibus* Mc. IV, 43; Scorp. 1; *cogitatibus* An. 9 cr., *congressibus* P. H. 7; R. C. 4; An. 9; *coetibus* Cor. 3; *conventibus* Sp. 20; *cruciatibus* An. 58; (Tac.); *discursibus* (Stat.) Id. 11; *ducatibus* Nat. II, 5; *effectibus* Mc. IV, 35; An. 40; *eventibus* T. A. 5; *exitibus* Ap. 18; Mc. IV, 39; *gestibus* Sp. 17; *incursibus* Ap. 37; An. 57; C. F. II, 2; *pulsibus* An. 19; *retractatibus* F. P. 1; Prax. 2. 11; *secessibus* Iei. 12; *vagitibus* V. V. 14; *victibus* An. 31 etc.

§. 5. De quintae declinationis vocabulis nihil apud Tert. insolentiae invenimus, nisi quod *speciebus*, forma prioribus inusitata, frequenter in usu Tert. est (Sp. 18; Nat. II, 9; Mc. III, 17; Herm. 31; An. 32; Prax. 6), qui pluralis numeri casus totius deterioris latinitatis inde ab Apul. propria est. — Praeterea insolentius Iud. 7 barbaries (cr., *Getulorum*) dicitur pro barbaria.

Caput II.

De numeri vocum usu Tert. proprio.

Tertulliani oratio in numeri quoque pluralis vocum creberrimo usu discrepat a ceterorum dicendi consuetudine. Imprimis vocibus abstractis (quae dicuntur) pluraliter et insolenter prolatis scatere *) eam ac vere turgere exempla huc congerenda demonstrabunt. Pluralis numeri (imprimis metonymici) vis quantum valeat ad Latinae linguae sucum et sanguinem firmandum et ad subtilitatem dicendi et brevilo-

---

*) cf. ex. gr. An. 20: Acuunt (sc. mentem) doctrinae, disciplinae, artes et experientiae, negotia, studia, obtundunt inscitiae, ignaviae, desidiae, libidines, inexperientiae, otia, vitia. — Cor. 13: Hae enim erant pompae diaboli et angelorum eius, officia saeculi, honores, sollemnitates, popularitates, falsa vota, humana servitia, laudes vanae, gloriae turpes etc.

quentiam augendam, dudum viri docti (cf. ex. gr. Nägelsbach in artis Latinae §. 48, Dräger in exordio syntaxis Lat. histor., alii) luculenter et copiose docuerunt, quare nobis licebit illico Tert. ipsius proprietates huius usus ita perlustrare, ut primum congeramus nomina propria ab eo pluraliter prolata, deinde nomina locorum, et rerum aliquot talium, quae fere singulariter legi solent et cerni tangive possunt. Neque tamen hac in enumeratione subsequenti mihi proposui ad unum omnia vocabula pluraliter insolito modo a Tert. prolata enumerare, sed exemplorum graviorum conquisitione facta hanc Tert. dicendi proprietatem aliqua ex parte adumbrare simulque supplementum quoddam lexicis Lat. similibusque verborum indicibus praebere.

§. 6. Horum initium faciamus a diis, quorum complures a Tert. cum irrisione quadam pluraliter proferuntur ita, ut hoc numero plur. respectus habeatur variorum aut generum illorum aut cognominum ex variis eorum vel operationibus vel sacrorum locis ortorum. Sic pater deorum hominumque, Iuppiter, ex Varroniano aliquo loco bis in trecenarium numerum multiplicatus legitur: Ap. 14 (*Romanus Cynicus Varro trecentos Ioves*, *sive Iuppitros* (aliae lectiones: *sive Iupiteros, Iupiteres*) *dicendos, sine capitibus introducit*) et Nat. I, 10 (*Romani stili Diogenes Varro trecentos Ioves, seu Iuppiteres dicendum est, sine capitibus inducit*), qui dei plur. num. etiam apud Cic. (in n. d.) et Arnob. exstat. — Cum iisdem communis pluralitas apud Tert. exstat nominum deorum Apollinis et Mercurii, cf. Sp. 10: *Apollines et Mercurii mancipes scenicae artis musicae,* et ibid. 11: *gymnicae artes, „Mercuriorum disciplinae“* dicuntur. Appellativa quaedam vis inest in Liberi dei plurali numero, qui An. 25 (*Liberi aliqui et Scipiones*) et apud Aug. legitur. — Etiam barbara illa Phoenicum numina, Baal et Astarte, ex vet. test. pluraliter afferuntur Scorp. 3 (*serviunt Israëlitae idolis Baalim et Astartis* = **τοῖς Βααλὶμ καὶ ταῖς Ἀστάρταις** = הַבְּעָלִים וְעַשְׁתָּרוֹת Iud. 2, 11, 13; Vulg. crebro: *Baalim et Astaroth*), qui plur. deorum numerus sub eandem rationem cadit, quam supra exposuimus.

Etiam dearum nomina pluraliter prolata legis, cf. Ap. 13 *inter Iunones Cereres et Dianas Laidem aut Phrynen adoratis;* et Sp. 10 *Minervae* leguntur, e quibus deabus *Dianae* et *Minervae* etiam Ciceronis (in n. d.) et Arnobii sunt. Aliarum dearum ea-

rumque inferiorum et quasi agrestium nominibus pluraliter prolatis columnas earum dici ipse ait Sp. 8: *„columnae* (sc. circi) *Sessias a sementationibus, Messias a messibus, Tutelinas a tutelis fructuum sustinent.“* Simili vi afferuntur Victoriae = Victoriarum simulcra Ap. 16 et Nat. I, 12, (*Victorias ut numina veneramini*) et Cloacinae (— *arum adyta* Pall. 4), quo nomine plurali solius Tert. proprio cloacarum deae praesides dicuntur.

Etiam semidii plurali numero dicuntur a Tert. (aliisque scriptoribus), cf.: *Hercules tres famelici* Ap. 15, et *Herculum disciplinae* Sp. 11 (= Arnob. et Aug.); *Castores* (= Castor et Pollux) Sp. 11; Ap. 22; Nat. II, 15 (cuius vocis pluralitas etiam scriptorum et prioris et posterioris aetatis est); quibuscum conferas Romúlos Cor. 12 (= Romulus et Remus fratres).

§. 7. Gentile nomen plurium hominum proprium pluraliterque prolatum hoc affero: Nat. II, 12: *apud Cornelios Nepotem et Tacitum;* agnomina autem plurium communia haec: Nat. I, 17: *Caesares et Parthici et Medici et Germanici*; Pall. 2 (*tot*) *Augusti;* cognomen *Christi* pluraliter legitur Mc. III, 21 et IV, 29, ubi *duos* Tert. discernit *Christos,* sc. Iudaeum eundemque ipsius et Marcionis haeretici proprium. Appellativam autem vim pluralia nominum propriorum obtinere apud omnes Lat. scriptores constat, si singuli, qua sunt nota proprietate, quasi totius alicuius hominum generis describendi vicem implent, cuius dicendi usus exempla multa etiam apud Tert. exstant: cf. Mc. II, 17: *ante Lycurgos et Solonas omnes Moyses et deus*; T. A. 4: *Curtii et Reguli;* Ap. 22: *Croesi, Pyrrhi*; Ap. 15 et Nat. I, 10: *Lentuli et Hostilii* (sc. exemplaria lasciviae mimographorum); C. C. 9.: *Virgilii;* Pall. 5: *Nerones et Apicii et Rufi, Epicuri et Zenones*; An. 55: *Endymiones* (*Stoicorum*) etc.; *Marthae et Mariae aliae* C. C. 7 (*in commercio Christi*). — Terrae autem pluraliter apud Tert. insolito modo hae leguntur: *Aethiopiae* Iei. 7; *Arabiae* Ap. 42; *Graeciae* (= Graeciae provinciae) Iei. 13; *Scythiae* An. 25; *Syriae* Nat. I, 17; Mc. III, 13; Iud. 9 (Catull). Adde haec loca: *Caucasorum* (i. e. Caucasum montem accolentium) *cruces*; *Capitolia* autem (*ad caelum certantia*) Ap. 25 et *academiae* (*Atticae*) An. 6 appellativa vi templa ac scholae dicuntur.

§. 8. Ex rebus autem, quae pro natura sua singularis num. esse solent, pluraliter a Tert. prolatas has congessimus, quarum enumeratio ordiatur a liquidarum et aridarum appellationibus. His

adnumerandae sunt *lanugines* C. C. 9; illis hae: *stercora* (= *σκύβαλα* Phil. 3, 8) Mc. V, 20; — Mc. III, 10; Iei. 6; Nat. II, 9; — Vulg; *sputamina* (= *ἐμπτύσματα* Ies. 50, 6) Mc. III, 5; R. C. 20; F. P. 12 — C. C. 9; — Cael. Aurel., Cypr. — Ex ipsius usu haec affero pluralia: *faeces* (*lacrimarum, terrae*) Val. 24; R. C. 4; *fella* (*gustare*) Cor. 14 — Cael. Aurel., Sammon.; *glutina* Pall. 5; *purulentiae* (*civitatis*) autem, quo nomine puris collectio vel copia significatur, translato sensu Pall. 5 dicuntur „*Apicii illi Romani sumptuosissimi.*" — *Sanguis* plurali numero et LXX et Vulg. usitatissimo iam etiam apud Tert. exstat C. C. 20: *uberum tempore menses sanguinum vacant*, (sc. de menstruis mulierum); *sputamenta* Sp. 30.

Plantarum nomina pluraliter prolata haec affero tum ex Tert. interpretatione scr. scr.: *allia* (= *σκόρδα*) et porri (= *πράσα* Num. 11, 5) Iei. 5; *avenae* (*Praxeanae*) Prax. 1 dicuntur doctrinae illae Praxeae Phrygis de „monarchia" dei segeti laetae ecclesiae „superseminatae;" et An. 16 diabolus vocatur *avenarum superseminator* (ex Mt. 13, 26) — *holuscula* (= *λάχανον* Luc. 11, 42; Vulg.: *holus*) Mc. IV, 27; *olera* (cr. = *λάχανα* Rom. 14, 2; Vulg.: *holus*) Iei. 15; tum ex ipsius usu: *cicutae (damnationis)* An. 1; *paleae* F. P. 12. — Partes corporum pluraliter dicuntur, si plurium sunt: *alvi (ferarum, ursorum)* R. C. 4; Ap. 9; *facies* (*suas* = *πρόσωπα* Ezech. 8, 16) Iud. 11 — Vulg.; *rumae (alitum)* R. C. 4; uteri (*sanctissimarum feminarum*) An. 26; *iecora* dicuntur unius hominis Mc. III, 18 *(in stationem eorum ne incubuerint i. mea = viscera mea* Iud. 10 = *τὰ ἥπατά μου* Gen. 49, 6); *praeputia* autem fere pluraliter leguntur (ap. Tert.): Mc. I, 20 et V, 4. 13 *(circumcidimini p. cordis vestri* Ier. 4, 4), singulariter autem Iud. 3 *(circumcidite p. cordis vestri,* l. c.; ibid. *praeputium infantis, carnis)*; et Mc. V, 17; *(qui appellamini p.* = *ἀκροβυστία* Eph. 2, 11 = Vulg.). — *Posteriora* sunt plurium Iud. 11 *(p. sua dederunt ad templum domini* = *τὰ ὀπίσθια* Ezech. 8, 16); Vulg.: *dorsa*), unius Mc. IV, 22 *(et tunc videbis p. mea* [= Vulg.] = *τὰ ὀπίσω μου* Exod. 33, 23). — *Carnes* autem cibus dicitur carnalis plurium, R. C. 37 *(panes et carnes Aegyptiorum)*, et opponuntur aut ossibus R. C. 29 *(reducam in vos c.,* Ezech. 37, 6), aut animabus, ibid. 11 *(c. sunt, et carnem oderunt,* sc. *qui negant carnis resurrectionem*). — Usitatissimus scriptoribus eccl. numerus plur. voc. caeli est mutato genere vocis neutrali in masculinum, quem vocis numerum respondere patet et Hebr. voci שָׁמַיִם et

Graeco *οὐρανοί* (apud LXX et in novo test.), cuius tritissimi pluralis exempla pauca afferre libet: Herm. 34 et 45 *(opera manuum tuarum caeli* Ps. 102, 25); ibid. 45 et Prax. 7. 19 *(sermone eius c. confirmati sunt)*; Mc. I, 24 et C. F. II, 1 *(pater vester, qui in caelis est* Mt. 5, 48) etc. — *Soles* dicuntur et ab aliis et a Tert. solis ardores (= germ. Sonnenschein) An. 47 (*imbres et s.*); Mc. IV, 17 (*imbres et s.*). Cum singulorum dierum quasi singuli s. sint, dicere potuit Tert. Mc. V, 6: *dies et menses et anni solibus et lunis et sideribus signantur*; et ibid. 4: *qui* (sc. deus) *signa quoque temporum ordinavit*, *soles et lunas et sidera et stellas;* Prax. 13: *soles duo.* — Ceteris inusitata est pluralis forma *verna* vocis *veris* R. C. 12, et praeter Tert. unius Cypr. propria sunt *autumna*, quae ibid. leguntur. Ex scr. scr. allatum legimus num. plur. voc. aevi apud Tert. (= *αἰῶνες* = *saecula* in Vulg.) Mc. V, 7 et Prax. 16 *(fines aevorum* 1 Cor. 10, 11); Mc. V, 18 (*ab aevis* Eph. 3, 9); — Herm. 2 *in aevum aevorum*; Mc. II, 16 *(in aevo aevorum);* Iud. 10 *(rex aevorum)* etc. — Ov., Plin., Arnob.

§. 9. Plurimus Tert. est in fingendo plur. numero abstractarum vocum, quo numero iis aut concreta vis ita ingeritur, ut earum notionum, quae singulariter prolatae pro natura sua percipi non possunt nisi cogitatione ac mente, plurali numero varii earum et identidem prolati effectus significentur aut rationes iis ad plurium vel animos vel actiones intercedentes exprimantur. Huius, qui dicitur, metonymici pluralis num. abstractarum vocum usus ex Hebraico dicendi genere in LXX interpretationem scr. scr. et inde in Tertulliani et scr. scr. translationem et in ipsius dicendi consuetudinem (atque Vulgatae) latissime abiit, id quod ex his huc collatis exemplis patebit. Haec autem ita congeramus, ut praeponamus pluralia voc. ab adi. ducta et in ia, — tas et — tudo exeuntia hisque subiungamus pluralia a verbis derivata et in — io, us et — or terminata, a Tert. insolentius prolata pluraliter.

Ex prima classe haec affero ex scr. scr. interpretatione Tert.: *frequentiae (vestrae = πανηγύρεις* Hos. 2, 11; Vulg.: *festa tempora*; et Amos 5, 21) Mc. V, 4 — *f. mortium* Ap. 20; *f. humanae* An. 30; *iniustitiae* (= *ἀδικίαι* Dan. 9, 24; Vulg.: *iniquitas;* = *ἀσέβειαι* Mich. 7, 18; Vulg.: *peccatum)* Iud. 8; Mc. IV, 10; *misericordiae* (— *arum pater* = *πατὴρ τῶν οἰκτιρμῶν*

2 Cor. 1, 3 = Vulg.) Mc. V, 11; — (— *arum opera*) Mc. IV, 27; *malitiae* (= κακίαι Ion. 4, 2; Vulg. *malitia*) Mc. II, 24 — *m. spiritales* (= daemones) Val. 22; *nequitiae* (= πονηρίαι Ies. 1, 16) Mc. II, 19; — *n. legum* (Nat. I, 6) — Martial).

Ex ipsius usu haec sunt: *amentiae* Ap. 22; *barbariae* (*Graeciae* dicuntur quaedam seu extra Graeciam regiones seu Graeciae oppositae) V. V. 2; *corpulentiae* (*atomorum*) An. 5; Val. 16; *desidiae* An. 20 — Lucr., Virg., Gell.; *duritiae* (*legum*) Nat. I, 6; (*temporum*) R. C. 41 — Plin; *efficaciae* (*animae*) An. 14; *elegantiae* (= res elegantes) C. F. II, 9 — Petron., Gell.; *gratiae* (opp. *poenae*) An. 33; *ignaviae* An. 20 — Gell.; *immunditiae* Pud. 15; Mc. IV, 21; An. 54 — Col., Dig. *impudentiae* Ap. 35; *impudicitiae* Sp. 27; Pud. 18; *infantiae* (*trucidatae* = infantes) Nat. I, 7; *inscitiae* An. 25; *iustitiae* Iud. 8 — Vulg.; *licentiae* (*habitus*) C. F. II, 1; *memoriae* (*privatorum*, sc. defunctorum) Sp. 6; = annales, historiae Ap. 18. 19; Nat. II, 12, (*veteres*); Iud. 1 — Gell., Minuc. Fel.; *patriae* Nat. II, 12; *pestilentiae* Sp. 27 — Gell.; *saevitiae* (*creatoris*) Mc. I, 22; *sapientiae* (*arborum*) An. 19 — Cic; *spurcitiae* (*genitalium*) C. C. 4; *versutiae* (*satanae*) Id. 21; (*haereticorum*) R. C. 63 — Liv.

§. 10. His adiungantur nom. plur. abstracta eiusdem terminationis sed a participiis ducta: *absentiae* (*siderum*) R. C. 12; *accidentiae* An. 22; *aequiparantiae* (*corpulentiarum*) Val. 16; *circumstantiae* R. C. 30; An. 47 — Boëth; *concupiscentiae* (*carnis* = θελήματα Eph. 2, 3) Pud. 17; E. C. 10; Mc. V, 17; Pud. 6; (*saeculi*) Sp. 14); *consequentiae* (*carnis*) R. C. 4 — IC; *delinquentiae* (*carnis*) R. C. 15; *differentiae* Val. 29 — Cic.; *discentiae* (= μαθήσεις in Plat. Phaed.) An. 23. 24; *eminentiae* Mc. III, 21 — Plin., Apul.; *experientiae* An. 20; *ignorantiae* Val. 4; *incongruentiae* (*dei*) Mc. II. 25; *indulgentiae* (dei *creatoris* = dona Mc. II, 4; V, 29; — Plin.; *inexperientiae* An. 20; *negligentiae* (*Marcionis*) Mc. V, 13; *paenitentiae* Pud. 5; *prospicientiae* (cr.) Val. 26; *providentiae* (dei) Mc. II, 4; *reminiscentiae* (= ἀναμνήσεις in Plat. Phaed.) An. 23. 24; *renidentiae* (*infantium*) An. 49; *scientiae* (*arborum*) An. 19; Pat. 12 — Vitr., Arnob.; *significantiae* (*legis*) Mc. II, 19; V, 6, — Arnob.; *substantiae* (*hominis* i. e. caro et anima) Scorp. 9; Prax. 29 (*duae in Christo Iesu*,

divina et humana); s. *elementiciae* An. 32 etc. — Salvian.; *tolerantiae* F. P. 4.

§. 11. Ista nom. plur. abstracta excipiant ea, quae in tas desinunt et a Tert. aut ipso proferuntur aut ex interpretatione scr. scr. afferuntur. Ex qua haec sunt: auxietates (= λῦπαι Gen. 3, 16; Vulg.: *dolor*); C. F. I, 1; *cavositates* (*in parietibus* i. e. loca cava = κοιλάδες Lev. 14, 37) Pud. 20 (bis); *ebrietates* (= μέθαι Rom. 13, 13) Iei. 9. 17; Pud. 17 — Id. 1; *imbecillitates* (= ἀσθένειαι 1 Tim. 5, 23) Iei. 9; (*condicionis humanae*) Scorp. 6; Mc. III, 17; IV, 18; *impietates* (= ἀνομίαι Ezech. 8, 17) Iud. 11 — Mc. V, 15 — Cic; *infirmitates* (= ἀσθένειαι 2 Cor. 12, 10) Scorp. 13 — Mc. II, 25; IV, 20 — Vulg.; *iucunditates* (= εὐφροσύναι Hos. 2, 11; Vulg.: *gaudium*) Mc. I, 20; V, 4.

Ipsius autem sunt: *Atrocitates* (*arenae*) C. F. I, 8; (*suppliciorum*) An. 56; — Apul.); *caecitates* (*Marcionis*) Mc. V, 13; *capacitates* (*cr.*, *hominum*) Prax. 14; *captivitates* (*Israëlis*) R. C. 20; — Tac., Arnob.); *contrarietates* (*praeceptorum* Mc. II, 21; 29: *elementorum*); Herm. 35; An. 29; Mc. IV, 1 — Macrob.); *curiositates* (= res curiositate dignae Ap. 5; P. H. 40; Pud. 9; *diversitates* (*mundi, rerum* Mc. I, 16; Pall. 2; An. 18; — Flor.); *divinitates* (= dii) Pall. 2; Mc. II, 29; IV, 34 — Vitr.; *enormitates* (*capillamentorum*) C. F. II, 7; *extremitates* (*saeculi*) Ux. I, 2; (*temporum*) Nat. I, 1; Iud. 10 (*crucis*); Paen. 2 — Plin.; *facilitates* (*evangelii*, opp. *legis difficultates*) Mc. V, 3; — Quintil.; *felicitates* Val. 3 — Ter., Cic.; *fraternitates* (— *um affinium contristatio*) Pud. 7; *ignobilitates* (*vestium*) Paen. 11; *incredulitates* (*hominum*) Scap. 3; *infelicitates* (*divinitatis*) Val. 3; — Apul; *liberalitates* (cr.) Val. 14; — Suet.; *libertates* (*arbitrii*) An. 24; — Plaut., Tac., Dig.; *maiestates* (sc. *deorum*) Nat. I, 10; *malignitates* (*dei*) Mc. II, 24. 25. 27. 28; *mendicitates* (*creatoris*) Mc. I, 14; *nativitates* (= γενέσεις) Sp. 30; E. C. 5; An. 28; *per singulas n.* = hominum genera; *perversitates* Ux. I, 3; *popularitates* (i. e. studia captandae aurae popularis) Cor. 13; *posteritates* (= posteri) Mc. II, 15; *pusillitates* (*dei*) Mc. II, 25. 27. 28; *rivalitates* Pud. 5; *scrupulositates* (*oblationum*) Mc. II, 18; *severitates* Mc. I, 25; *simplicitates* (opp. *fraudes*) Sp. 29; *subtilitates* (*haereticorum*) Herm. 27; *sublimitates* (*sublimitatum*) Val. 7; —

Plin.; *summitates* Val. 23; *supernitates* (*supernitatum*) Val. 7; *vanitates* Nat. I, 8; (*ciborum*) An. 25; — Plin.; Vulg.; *veritates* Sp. 29; Cor. 15; — Gell.; *venustates* Ap. 15; Nat. I, 10; *vetustates* (i. e. vetus test. Iei. 10; *v. legales et propheticae* Iei. 2; Nat. I, 10; — Cic.

§. 12. In tudo finita nomina pluralia pauca apud Tert. invenimus eademque iam priorum scriptorum propria, quare enumerare ea supervacaneum est. Multo plura sunt apud Tert. nomina verbalia in io exeuntia abstracta eaque ab illo insolentius pluraliter prolata, quorum initium faciamus ab iis, quae in scr. scr. interpretatione eius legimus: *confabulationes* (*malae* = *ὁμιλίαι* 1 Cor. 15, 33; Vulg.: *colloquia*) Ux. II, 3; *coruscationes* (cr. = *βολίδες* Habac. 3, 11 = fulgura) Mc. IV, 39 — Iren., Vulg., Aug.; *dehonestationes* (= *ἀτιμίαι* Prov. 6, 33; Vulg.: *ignominia*) Pud. 18; *divinationes* (= *μαντεῖαι* Ies. 44, 25); Mc. IV, 25; Prax. 19 — An. 46; *dominationes* (= *κυριότητες* Col. 1, 16) Mc. V, 19; *fornicationes* (= *πορνεῖαι* 1 Cor. 7, 2) Mon. 11; — Pud. 6, 12; *inectiones* (*Satanae* = *νοήματα* 2 Cor. 2, 11) Pud. 13; *iustificationes* (*dei* = *δικαιώματα* Ps. 50, 16; Vulg.: *iustitiae*); Pud. 18; *ostensiones* (= *ἐνδείξεις*? Gal. 4, 24) Mc. V, 4; *passiones* (*delictorum* = *παθήματα* Rom. 7, 5; *huius temporis* Rom. 8, 18) Mon. 13; R. C. 40 — p. *Christi* Scorp. 9; Mc. IV, 43 etc.

Ex ipsius usu haec afferimus: *Acquisitiones* E. C. 12 — IC.; *adimpletiones* (*temporum*) Mc. V, 17; *affectationes* Bapt. 5; *afflictationes* (*Aegyptiae*) Pat. 5; *amentationes* (= iacula) Nat. I, 10; *appetitiones* C. F. II, 9 — Cic.; *apprehensiones* Val. 27; *benedictiones* Scorp. 2; Mc. IV, 14. 15; Iud. 13; *causationes* E. C. 12; *caesiones* Ap. 39; *coitiones* Iei. 13; *communicationes* (*rerum*) E. C. 12; *concussiones* (*mundi*) Mc. IV, 39; (*elementorum*) R. C. 22; *concatenationes* (*temporum*) Ap. 19; *conflictationes* (*orbis*) Mc. IV, 39; (*nationum*) R. C. 22; — Vulg.; *consationes* (*concubinales*) Nat. II, 11; *consparsiones* (— *um onera*) Mc. IV, 24; *contusiones* An. 25 — Scrib.; *conversationes* (*Christi*) Cor. 8; Val. 26; *convocationes* (*nocturnae*) Ux. II, 4; *defectiones* (cr. = desertiones) Mart. 1; *destructiones* Herm. 15; *devinctiones* (*magicae*) Sp. 2; *discursationes* Ap. 29; *dispersiones* (*gentium*) Iud. 13 — Vulg.; *elationes* Pud. 14; *exstructiones*

(*locorum* = materiae) Sp. 2 — Cic.; *fructificationes* (*arbuscularum*) Mc. IV, 39; *geniculationes* Scap. 4; Bapt. 20; *iactationes* (*animae*) An. 45; *ieiunationes* Scap. 4; Iei. 11; 13; *immolationes* Id. 19; *implicationes* (*quaestionum*) An. 2; *incantationes* (*magicae*) C. F. I, 2; *inculcationes* (*praeceptorum*) Ap. 39; *lavationes* Bapt. 5; *lectiones* Iud. 1 — Suet., Cod.; *macerationes* (*erga victum*) Iei. 13; *mixtiones* (*sanguinis*) Nat. I, 16; *modulationes* (*lunae*) Pall. 2; *obstinationes* (*Christianorum*) Nat. I, 17. 19; *oppositiones* (*contrariae* = antitheses) Mc. I, 19; IV, 1; *permissiones* Mc. IV, 39; *persuasiones* Nat. I, 19; *praemonitiones* (*dei*) Mc. II, 4; *praenunciationes* An. 46; *praepositiones* (*quaestionum*) Val. 27; *praestructiones* R. C. 18; *professiones* (= disciplinae) C. F. II, 5; Id. 12; Nat. I, 5 — Suet; *prolationes* (*Aeonum*) Val. 37; *remunerationes* Nat. II, 8; *repraesentationes* (*dei*) Mc. III, 10; *responsiones* (*nostrae*) Nat. I, 6 – Plaut.; *restitutiones* (*Israëlis*) R. C. 20; *sationes* Nat. II, 12 — Cic.; *sectationes* (*bonae*) Ux. I, 6; *sementationes* Sp. 8; *stationes* (*solis*) Nat. II, 5, Pall. 2; *taliones* An. 37 — Gell.; *traductiones* (= castigationes) Mc. III, 14; V, 8; *unctiones* C. C. 4 (cr.).

§. 13. Haec sequantur pluralia nominum abstractorum in us terminantium. Ex translatione scr. scr. haec sunt: *Congressūs* (= ὁμιλίαι 1 Cor. 15, 33) Ux. I, 8; — P. H. 7; R. C. 4; *contractuum obnexūs* (= συναλλαγμάτων στραγγαλιαί Ies. 58, 6) Mc. IV, 37; *principatūs* (= ἀρχαί Col. 1, 16) Mc. V, 19; ibid. 18 (= Eph. 3, 10; Vulg.: *principes*); ibid. IV, 27 (— *uum affectatores*). Alia legis haec: *abortūs* F. P. 9 — Plin.; *accessūs* (*omnium*) C. C. 5; *cogitatūs* R. C. 15; An. 9; *commeatūs* (*aliquot deliberandi* = morae) Nat. II, 2; *conceptus* Nat. II, 12; Pud. 5; An. 26; R. C. 60 — Firm.; *connexūs* (*nervorum*) C. C. 9; *cultūs* Nat. I, 4; *decursūs, ducatūs* (*temporum*) Nat. II, 5; *discursūs* (*venarum*) C. C. 9; Id. 11 — Amm; *excessūs* (*impudicitiae*) Sp. 2 — Val. Max; *fluxūs* (*sanguinis*) Scorp. 5; *hiatūs* (*terrarum*) Nat. I, 9; II, 5 — Amm.; *intellectūs* An. 19. 24; *iaculatūs* Sp. 18; *luctatūs* Sp. 29; *mercatūs* Ap. 42; *nutūs* (*capitum*) R. C. 20; (*infantium*) An. 49; *ornatūs* (*terrae*) Pall. 2; An. 17; *pellicatūs* Pud. 5; *primatūs* Iei. 17; *pugilatūs* Sp. 29; *recogitatūs* (*cordis*) An. 15;

R. C. 37; *retractatus* Bapt. 12; P. H. 7; Prax. 2; *ructūs* Iei. 12; *sexus* Sp. 23 — Quinct.; *singultūs* Iei. 12; *succussūs* (*infantium*) An. 49; *suggestus* (*imaginum*) Ap. 16 — Herm. 31; *tractatus* An. 36; Prax. 2 — Aug.; *victūs* Nat. I, 4.

His annectere libet pauca pluralia nominum in or exitum habentium eaque Tert. solius propria: *favores* Sp. 25; *livores* Scorp. 6.

§. 14. His pluralibus succedant alia ceterisque scriptoribus insolita, quae secundum declinationum ordinem digerere libet: *Castimoniae* Iei. 2; *morae* C. C. 2; Pat. 5; Paen. 12; Pall. 1 — Sen., Iust.; *quaesturae* Sp. 11; *sanctimoniae* Pud. 15; *tutelae* (cr. *fructuum*) Sp. 8; *veniae* (*Israëlis* R. C. 20. — *Flaminia* (= sacerdotia flaminum) Sp. 12; *friguscula* An. 25; *homicidia* Mc. III, 18; *infanticidia* Nat. II, 15; *obstrepitacula* (= oblocutiones obstrepentes) Mc. I, 20; *parricidia* Ux. I, 5; *pervigilia* Bapt. 20; *potacula* (= potationes) Ap. 39; R. C. 4; *refrigeria* (= refrigerationes) F. P. 12; Mc. II, 17 (*hominum*); *refugia* R. C. 27 — Iust., Frontin.; *senia* (*lapidum*) An. 46; *servitia* (*elementorum* = servitus) Pat. 2; *stupra* An. 27; *vivicomburia* (i. e. supplicia, quibus vivi homines comburuntur) An. 33. — *Fames* (= *λιμοί* Luc. 21, 11) Mc. IV, 39 — Nat. I; 9; Ap. 20 — Arnob., Vulg.; *mortes* (= *in mortibus* [= capitis periculis] *saepius versatus* [sc. Paulus] = *ἐν θανάτοις* 2 Cor. 11, 23 = Vulg.) Scorp. 13; — *servitutes* (*elementorum* = officia) Nat. II, 5; *suboles* (= proles) E. C. 12 — Arnob. —(*tot*) *acies* (*tibiarum*) An. 14 — Vulg.; — *pernicies* (*tot*) Scorp. 1. — Colum., Arnob. —

§. 15. Horum autem nominum, quae iam sequuntur, nusquam exstat num. singul. neque apud Tert. neque apud ceteros auctores. Tert. solius sunt: *Factitamenta* (sc. dei = res factae = *ποιήματα* Rom. 1, 20) An. 18; *flustra* (*maris* = malacia) Pall. 2; *illudia* (*animarum* = visa, quibus alicui per somnia illuditur) R. C. 16; *semiieiunia* Iei. 13. Et ne haec quidem appellativa nomina uspiam leguntur singulariter: *accendones* (= lanistae, qui gladiatores ad pugnam accenderent) Pall. 5; *sparteoli* (= vigiles qui Romae arcendis incendiis vigilias agebant) Ap. 39; *infantariae* (cr.: alii — *ii*; = ii (eae), qui infantes falso putabantur mactandos in Christianorum coetus afferre. Tam priscae quam

posterioris latinitatis pluralia apud Tert. leguntur haec: *antiae* (= capilli muliebres in frontem demissi) Pall. 4 — Apul.; *dicibula* (*puerilia* = fabulae pueriles) Val. 20 — Marc. Cap.; *gramiae* (= oculorum pituitae) Val. 24 — Plin.; *induviae* (= indumenta) Pall. 4 — Plaut., Prud., Salvian; *lactes* (*piscium* = intestina tenuiora p.) R. C. 4; — Plaut., Plin., Suet.; *magnalia* (= miracula) Ux. II, 7 — Cypr., Aug., Vulg.; *mandibulae* (= maxillae) An. 10 — Macrob., Isid.; *sigillaria* (= staticula deorum) Or. 16 — Suet., Sen., Macrob; denique nomen illud Chaldaicum Persicae vestis *sarabara* (= bracae), quod Or. 15; Pall. 4; R. C. 58 tantummodo pluraliter legitur — Hieron., Isid.

Significationis principalis mutatio a Tert. facta exstat in his: vox *nuptiarum* multis locis idem valet quod *matrimonium*; cf. Mc. IV, 15 *virginitatem nuptiis anteponere*; E. C. 1. 2. 9: *nuptias sublatas restaurare;* V. V. 17: *in nuptias incidere etc.* Prorsus inaudita translatione utitur in voce *scapularum*. Quae cum superiorem dorsi partem et apud ceteros et apud Tert. (cf. Pall. 5; Mart. 5; Mc. II, 20) significet, uno loco in montes transfertur, Pall. 2, ubi *montium* s. idem valent quod *iugum*. — *Natales* autem ab eo etiam ad res referuntur ita, ut significent originem s. initium, cf. Mc. I, 10 *n. agnitionis;* Pat. 5 *n. impatientiae;* Pall. 2 *n. mundi.*

Agmen claudant nomina quaedam Graeca insolito modo pluraliter prolata: *abyssi* Prax. 23; *baptismi* (*duo,* sc. aquae et sanguinis) Bapt. 16; *entelechiae* (*Aristotelis*) An. 32; *evangelia* Prax. 15. 26 (sc. quattuor illa ab apostolis et apostolicis conscripta); *exorcismi* Cor. 11; P. H. 41; An. 57; *gehennae* (= templa Satanae, vel idololatria) C. F. I, 6; *genealogiae* (*Aeonum* Val.) C. C. 24; P. H. 7. 33; Val. 3; *idololatriae* (= genera idololatriae) Sp. 8; Id. 1; Pud. 5; P. H. 33; *martyria* Prax. 13; Scorp. 7; P. H. 29; *prophetiae* (= προφητεῖαι 1 Cor. 13, 8) Pat. 12; — *p. nova* Iei. 1; *p. Montani* Prax. 1; *p. respuere* Cor. 1 etc.; *xerophagiae* Iei. 1. 2. 9. 13. 15. — Quanta licentia versatus sit in talium pluralium prolatione, Val. 12 docet, ubi legimus; „*Refunduntur in Nus omnes, in Homines, in Theletos, aeque feminae, in Sigas, in Zoas, in Ecclesias, in Fortunatas.*“

§. 16. Praeter vulgarem morem singulari numero hae leguntur voces apud Tert.: Vox *altarium* cum apud optimos scriptores non legatur nisi pluraliter, Tert. et ceteri Eccl. (Vulg., Aug., Prud., Hier.) afferre eam solent singulari numero, cf. Mc. IV, 39 (*altaris paterae* Zach. 9, 15); Iud. 11 (*inter medium altaris* Ezech. 8, 16); Scorp. 8 (*inter altare et aedem* Mt. 23, 35); — Scorp. 8. 12; Or. 5. 11. 28; Iei. 16 etc.; Cor. 9 eiusdem vocis plur. numerus *altaria* leguntur plurali sensu; *angustia* singulari numero legitur Scorp. 13 (= *στενοχωρία* Rom. 8, 35) — Pat. 13 (*a. victus*) — Cic. (n. d. 2, 7, 20); Plin., Tac., Vulg.; *fori* leguntur singulariter Mc. IV, 10 (*de [in] foro torcularis* Ies. 63, 2. 3), ubi f. locus in torculari est, ubi uva calcatur — Isid.; *immunditia* (= *ἀκαθαρσία*) apud Tert. (Mon. 7; Pud. 17; R. C. 47) et in Vulg. singulariter legitur et praeterea apud Plaut. solum; aeque rarus apud priores est sing. num. vocis *inimicitiae* Tert. usitatus (Mc. V, 17; An. 8). Primi Tert. est usus sing. num. in voce *luminarium* Prax. 12, ubi ex scr. scr. (Gen. 1, 14. 16) haec verba afferuntur: *dixit deus: fiant luminaria . . . et fecit deus luminare* (*φωστῆρ*) *maius et minus* = Vulg.; *gena* (*altera* = *σιαγών* Mt. 5, 39) Pat. 8 singulariter legitur (= Plin., Suet.), cum pluralis num. esse soleat. — Rarus ceteris sed solitus Tert. singularis numerus est in his: *argutia* R. C. 57; *delicium* An. 24; *epulo* (*dives*) Iei 16; *fera* An. 56; C.C. 4; *feria* (*quarta et sexta*) Iei. 2 dicitur quartus quisque et sextus dies (profestus) hebdomadis, qui singularis usus vocis solius Festi et Cod. Iust. proprius est; *illecebra* Ap. 50; Cor. 14; *ingratia* Paen. 1; *lepra* (i. e. scabiei genus) Pud. 20; Mc. IV, 9; — Vulg.; *nostras* Mc. V, 16; *poenam luere* rei Iei. 16; *pomum* Pud. 16; *praestigia* Mc. III, 24; *quadriga* Val. 7; *rupex* Pall. 4 (*rupicem*); *sarcina* Ux. I, 5; Pall. 5; *specular* (*corneum*) An. 53, qui vocis singularis num. solius Tert. est; itemque vocis *tricarum*, cuius singul. num. Val. 14 legitur; *vepres* Iud. 13. — Deorum illa appellatio *caelitum* pluraliter legi solita singulariter legitur (praeter Ovidii *caelite*) Ap. 10; Nat. II, 12; Pall. 4 (*caelitem*). — Vox illa Hebraica *sabbatorum* apud Tert. (et in Vulg.) saepe singulariter et pluraliter legitur (ex scr. scr. interpretatione) Iud. 4 (*et erit . . sabbatum de sabbato* = *σάββατον ἐκ σαββάτου* Ies. 66, 23); ibid.: *sabbati dies, lex, observatio, vacatio*); Mc. I, 20, et IV, 12: *neomenias et sabbata vestra odit anima mea* Ies. I, 14; ibid: *odium sabbatorum*; Iud. 4 *sabbata mea profanastis* Ezech. 22, 8; singulari autem vi prolata *sabbata* leguntur; Iud. 4 *mementote*

diem sabbatorum = τὴν ἡμέραν τῶν σαββάτων = אֶת־יוֹם הַשַּׁבָּת Exod. 20, 8; Vulg.: *diem sabbati;* et Mc. IV, 12: *de exemplo David introgressi sabbatis templum.* — Iei. 15 (*exceptis sabbatis et dominicis* (sc. diebus) *sabbata* et *dominici* nostrarum hebdomadum dicuntur dies septimi quique profesti et primi iidemque feriati (germ. Sonnabende et Sonntage).

Caput III.

Voc. abundantia, heteroclita, indeclinabilia Tert. usitata.

§. 17. Nomina abundantia et heteroclita haec ex Tert. congessimus *);

Margarita pro terminatione sua primae declinationi addicta et apud alios posterioris latinitatis scriptores et apud Tert. terminatione in um mutata etiam neutraliter legitur. Ex novo test. (Mt. 7, 6) gnomicum illud de margaritis Christi dictum quater afferens bis dicit *margaritas* (= Vulg.) P. H. 26 et 41, bis *margarita* Ux. II, 5 (cr.) et Bapt. 18. Hanc neutralem formam praeterea profert Mart. 4; Pall. 5; C. F. I, 6 = Plin., Tac.; at C. F. II, 13: — *arum.* — Idem anceps declinandi usus exstat in usu voc. requietis et apud alios et apud Tert., qui *requiem* profert Iud. 11; Val. 12; Ux. I, 6 cr.; at *requietem* (= ἄνεσιν 2 Thess. 1, 7; Vulg.: *requiem*); Mc. V, 16; *requietis* An. 37; *requie* Ap. 37; An. 52 (cr.). —

Idem abundans et generis et terminationis usus in his peregrinis vocibus exstat. Voc. baptismi tres apud Tert. (et in Vulg.) formae leguntur: baptisma (— atis = βάπτισμα et novo test. usitatum et Vulg.) R. C. 47. 48; Cor. 3; Pud. 19 et saepius; baptismus (= βαπτισμός rarus in novo test. et Vulg.), qua forma per totum de baptismo suo libro fere sola utitur; baptismum uno loco Bapt. 15 (*unus dominus est nobis et unum b.*, Eph. 4, 5; Vulg.: *baptisma*), quae rarior forma etiam in Itcf. et Vulg. et apud posteriores Eccl. nonnunquam legitur. — Manna autem, cibus

*) Vulgatae quae dicitur sive Hieronymianae scr. scr. interpretationis Latinae a nobis comparationis causa passim allatae eam citamus editionem, quam Tischendorf vulgavit ex celeberrimo codice Amiatino omnium et antiquissimo et praestantissimo.

ille Israëlitis in deserto divinitus datus, paene ubique apud Tert. (aeque atque apud LXX et in Vulgatae novo test., cum eadem in vet. test. *man* proferat = מָן) indeclinabile legitur, cf. C. C. 6 (*legimus m. esui fuisse populo*); Mc. IV, 26 (*de caelo dedit manna*); Iud. 3 bis (*Israël in eremo m. cibatus*); Iei. 5 (*nihil nisi m. vident oculi mei* Num. 11, 6); uno autem eoque ancipitis lectionis loco gen. *mannae* invenitur, Pat. 5 (*post mannae escatilem pluviam*), quae gen. forma etiam apud Sulpic. Sev. legitur. — Vox illa Chaldaica pascha, qua sacrificium ac cena in memoriam emigrationis Israëlitarum ex Aegypto parari solita significatur, et ipsa duplici in usu Tert. (et Vulg.) est. Ex LXX enim consuetudine indeclinabilis illa eademque neutralis a Tert. profertur (et a Vulg. et alios Eccl.): Mc. IV, 40 et Iud. 10 (*p. esse domini* Lev. 23, 5); Mc. IV, 40 et An. 16 (*concupivi p. edere vobiscum* Luc. 22, 15); Mc. V, 7 (*p. nostrum immolatus est Christus* 1 Cor. 5, 7) — Iei. 14 (*p. celebrare*); Mc. V, 13 *praeter pascha*; Bapt. 19 *ultimum p. agere*. Nec minus autem frequenter hoc voc. in primam declinationem translatum generis feminini esse solet apud Tert. (et alios Eccl.; raro in Vulg.): Prax. 23 (*ante sollemnitatem paschae* Io. 13, 1 = Vulg.); Cor. 3 et Or. 18 et Bapt. 19 et Mc. IV, 40: *dies paschae*; Ux. II, 4 *sollemnia paschae*; Bapt. 19 *paschae celebrandae locus*; Iud. 8 *tempora paschae*. —

Abundans quidam ex metaplasmo usus Tert. (et Vulg.: cf. Dan. 9, 24—27) peculiaris est in voc. hebdomadis, quae duplicem declinationem admittit non solum tertiam sequens, sed saepe etiam primam. Percurramus singulos casus apud Tert. prolatos: Iud. 8 legitur eius nom. sing. *hebdomada* (*et confirmabit testamentum in multis h. una* = ἑβδομὰς μία*) Dan. 9, 27) — Vulg., Ambr., Isid.; gen. *hebdomadis* ibid. (= Dan. 9, 27 = Vulg.) — Mc. IV, 9, Pud. 20; acc. *hebdomadam* Iud. 8 et An. 39 (= Gell., Ambr.); at *hebdomadem* An. 37 et Cor. 3 (cr.); abl. *hebdomade* Val. 20 (23. 31); nom. plur. *hebdomadae* Iud. 8 (*h. LXX breviatae sunt super plebem tuam* Dan. 9, 24; Vulg.: *hebdomades; hebdomades* Iei. 9 (= Dan. 10, 3); Iud. 8; gen. *hebdomadarum* Iud. 8. 11 (— Vulg.); *hebdomadum* An. 48; acc. *hebdomadas* Iud. 8; (*post h. has* Dan. 9, 26; Vulg. *hebdomades*); Iei. 9 (*lugens per tres h.* Dan. 10, 2); — Iei. 15; abl. *hebdomadibus* Iud. 11 (cr.).

*) Oehler novata verborum distinctione „*h. una*“ cum proximis vocabulis coniungens contra LXX lectionem abl. sing. locum obtinere vult.

§. 18. Huc congeramus quattuor locorum appellationes inaequaliter a Tert. prolatas. Triplex eius (et Vulg.) usus est vocis Hierosolymorum. Aut enim Hierusalem (= Vulg. creberrime) indeclinabile affert ex scr. scr. (= Ἱερουσαλήμ ap. LXX, et in novo test. passim); cf. Mc. IV, 27 *(vae qui valent in H.*, Ies. 28, 14); Mc. IV, 13 et V, 2 (*qui evangelizas H.,* Ies. 52, 7); Mc. III, 21 et 22 (*sermo domini exibit ex H.*, Ies. 2, 3); Mc. III, 22 et Iud. 11 *(in media H.* Ezech. 9, 4); Mc. V, 15 (*H. quae sursum est,* Gal. 4, 26); et aliis locis et ex scr. scr. allatis, et ipsius dicendi generis, cf. Ap. 16 *Pompeius cum H. cepisset;* Scorp. 15 *lapides H.*; R. C. 22 *excidium H.;* Iud. 8 *exterminium civitatis H.*; Cor. 13 (bis); Sp. 30; Mc. IV, 26. 39 (= Lact., Aug.); aut Hierosolyma, orum (= Ἱεροσόλυμα in novo test. passim) dicit (= Vulg. passim) vel ex scr. scr. interpretatione locos citans, cf. Mc. IV, 35 *(vos dicitis, quia Hierosolymis oportet adorare,* Io. 4, 20); Scorp. 15 et F. P. 6 (*ego vincula pati Hierosolymis optaveram* Act. 21, 13) et ibid.: *ne se Hierosolyma committeret,* vel ex ipsius dicendi consuetudine, cf. Nat. I, 11 *debellatis captisque Hierosolymis;* P. H. 7 *quid ergo Athenis et Hierosolymis?* (sc. commune est); C. F. I, 3 *Hierosolymis deletis*, quae vocis forma melioris latinitatis est; aut rarius Hierosolymam singulariter profert (= Ἱεροσόλυμα, ης in novo test. [?] et in Vulg. quoque) F. P. 12 *discipuli* [sc. Pauli] *flentes, quod Hierosolymam tendere perseveraret*; Mc. V, 3 *descendisse* [sc. se] *Hierosolymam scribit,* [sc. Paul.], quae eadem forma acc. etiam bonae latinitatis est. — Huius autem urbis quasi acropolis, Sion (= Σιών apud LXX, et in novo test., ubi hoc nomine urbs Hierosol. significatur indeclinabiliter) aut indeclinabili forma a Tert. profertur (= Vulg.) in scr. scr. interpretatione, cf. Mc. IV, 13 (*qui evangelizas Sion,* Ies. 40, 9; at idem citatus locus Mc. V, 2: *Sioni);* Mc. V, 5 (*posui in Sion lapidem offensionis* Ies. 28, 16); Mc. III, 21 et V, 4 (*ex Sion exibit* lex Ies. 2, 3), aut declinatione admissa: Mc. V, 6 *(inicio in fundamenta Sionis lapidem* Ies. 28, 16; Vulg.: *Sion);* et ipse Mc. IV, 25 acc. *Sionem* profert, et Mc. IV, 15 et 36 gen. *Sionis,* et Mc. IV, 31 abl. *Sione.* — Hiericho oppidi nomen aut indeclinabile est apud Tert. (et in Vulg.), cf. Mc. II, 21 *(civitatis H.);* Iud. 4 (*H. civitatem debellabat),* aut declinabile, cf. Mc. IV, 12 *(civitatis Hierichuntis; apud Hierichuntem*). — Eodem duplici modo nomen oppidi illius caelesti igne exusti, Sodomorum (= Σόδομα, ων apud LXX

et in novo test.) a Tert. (et in Vulg.) profertur, cum illud aut singulari numero primam declinationem sequatur in It., cf. Prax. 13 et 16 (*et pluit dominus super Sodomam,* Gen. 19, 24 = Vulg.) et in ipsius usu, cf. Mc. II, 25 (*ad Sodomam et Gomorram descendens deus*); Mc. IV, 29 (*Sodomam et Gomorram nimbo igneo exussit*; aut pluraliter secundae declinationi assignetur (etiam in Vulg.), cf. Mc. III, 13 et IV, 2. 7 et Iud. 9 (*archontes Sodomorum* Ies. 1, 10); Mc. IV, 23 *ex Sodomis*; Ap. 40 (*Sodoma et Gomorra* (cr.) *igneus imber exussit.*)

§. 19. In usu appellationum hominum peregrinorum maximeque Hebraeorum inconstantia quaedam dicendi apud Tert. exstat, qui aut indeclinabiliter eas profert praecipue in locorum prolationibus ex scr. scr. Lat. interpretatione petitorum, aut suo arbitrio eas in declinabilem aliquam formam redigit. Sic nomen illud Hebraicum Aaron, Moysis fratris, aut indeclinabile profert (= Vulg.) aut declinatum. Uno eodemque capite (Iei. 9) ipse dicit *Aaronem* et paulo infra ex scr. scr. citans: *Et dominus ad Aaron* = *καὶ ἐλάλησε κύριος τῷ Ἀαρών* Lev. 10, 9; quocum cf. Prax. 14 *dicit* (deus) *ad Aaron et Mariam* (Num. 12, 6), et Iud. 1 *dicente populo ad Aaron* (Exod. 32, 23), et Pat. 5 *de Aaron*; at Mc. IV, 13 *Aaronis*; Mon. 6 *Aaronem;* Mc. IV, 31 *ad Aaronem.* — Abel, filii Adami, nomen ubique ex scr. scr. indeclinabile affertur (= Vulg.) cf. Iud. 5 *respexit deus in (ad) Abel* (Gen. 4, 3); Val. 29 *ex Abel;* Mc. II, 22 *oblationes Abel;* at ibid. 25 *sanguis Abelis.* — Baal, dei Phoenicii, nomen ceteris Eccl. et Vulg. singul. num. indeclinabile dat. sing. semel declinatum legitur in *Bahali* Iud. 1, et dat. plur. in Hebraicam formam *Baalim* Scorp. 3 (= *Βααλίμ* = בְּעָלִים Iud. 2, 11 = saepe in Vulg.). Eiusdem dei alterum nomen *Bel* Id. 18 acc. in *Belem* flectit, genetivo autem in *Beli* (cr.) Pall. 2. — Satanae nomen Hebraicum alterum *Belial* aut indeclinabile (= Vulg.) affert ex scr. scr. Pud. 15 (*quae consonantia Christo et Belial?* 2 Cor. 6, 15), aut declinatum Cor. 10 et C. F. I, 2 (*quae communio Christo et Beliae?* ibid.) — Nomen illud gentilicium Israël modo indeclinabile profertur (= LXX et fere Vulg., Lact., Aug.) modo secundum tertiam declinationem flexum ex inconstanti dicendi consuetudine Tert. cf. Mc. III, 6 et Iud. 3 *sanctus Israël* (Ies. 1, 4); R. C. 29 *inducam vos in terram Israël* Ezech. 37, 12); Mc. IV, 7 *oves perditae domus Israël* (Mt. 10, 6

et 15, 24;) C.C. 23 (*in Israël* Luc, 2, 34); aliis autem locis et ipsis ex scr. scr. allatis flexas vocis eiusdem formas affert, cf. Mc. IV, 7 et F. P. 6 *oves perditae domus Israëlis* (Mt. 10, 6 et 15, 24), et F. P. 6 *civitates Iraëlis* (Mt. 10, 23); Mc. V, 11 *alieni ab Israële* (Eph. 2, 12); Mc. II, 24 *regnum Israëlis* (1 Sam. 15, 28), quibus locis omnibus Vulg. (LXX et novi test. usum sequens) hoc voc. indeclinabile profert, cum Tert. ita nihil sibi constet, ut Iei. 7 in eadem sententia uno quasi spiritu, ut ita dicam, proferat haec variata verba: *in conspectu Israëlis . . viri Israël* *). Qui duplex vocis usus non solum in locorum scr. scr. prolatione exstat, sed etiam in ipsius Tert. usu. Aut enim declinationem eius prorsus omittit, cf. F. P. 6 *apud* I.; Iud. 13 *ex I.*; Pat. 5 *ipsum I.*; aut admittit: cf. Pud. 8; Mc. IV, 24. 43: *Israëlis*; Mc. III, 6; 20; V, 14; Iei. 6. 9: *Israëli*; R. C. 39; Mc. III, 6; IV, 28; Iud. 5: *Israëlem*; Mc. IV, 35; R. C. 30; F. P. 6; Iud. 5. 13: *Israële*. — Similis est inconstantia Tert. in usu appellationum horum trium regum: *Saul,* illius Israëlitarum regis, nomen cum apud LXX flexione careat, Tert. (et Vulg.) ipse quoque eam omittit, cf. Mc. II, 24 (*poenituit quod regem fecerim Saul* 1 Sam. 15, 11); aut saepius admittit cf. Mc. II, 24; IV, 10; V, 1; Iei. 10; An. 57: *Saulis;* Mc. II, 24; An. 57: *Sauli*; Mc. II, 24; An. 11: *Saulem*; et F. P. 2 (*et abscessit spiritus domini a Saule* 1 Sam. 16, 14) et An. 57 et Mc. V, 1: *Saule,* quam vocis declinationem Vulg. (rarius) et Aug. et Sulpic. Sev. secuti sunt. — Cognomen illud Aegyptiorum regum, *Pharao,* declinari a Tert. (et in Vulg. et ap. Aug. et Prud.) solet, cf. Mc. I, 29; II, 14; IV, 23: *Pharaonis*; An. 57 *Pharaoni*; Mc. IV, 26 *Pharaonem;* at Nat. II, 8 bis legis: *regis Pharao* indecl. (= LXX). — Similiter nomen reginae illius Israëliticae, *Iezabel,* indeclinabile est Tert. (et Vulg.), cf. Mc. IV, 10; Pud. 19; Iei. 6. 7.; uno autem loco, Mc. V, 11 flectitur in *Iezabelis* (cr.) — Nomen illud Christo (ex Ies. 7, 14) impositum (Mt. 1, 23), *Emmanuel*, quod Iud. 9 saepius indeclinabile legitur (= Vulg.), C. C. 17 et R. C. 20 flexum invenitur in *Emmanuelem* et Mc. III, 12 in *Emmanuelis.* — Gentis autem *Moabitarum* nomen et

*) Hac inconstantia ne Vulgatam quidem vacare translatio capitis VII libri primi Sam. docet, ubi illa (ex cod. Amiat.), cum per totum caput *Israël* indeclinabiliter protulerit, duobus ultimis enunciatis *Israëlem* ter dicere maluit; praeterea legis ibidem Exod. 14, 25 *Israëlem,* et Exod. 18, 9 et 1 Sam. 3, 21 ac Num. 10, 29; 24, 1 et Iud. 14, 4 *Israëli;* et II Paralip. 29, 24 *Israëlis.*

ipsum dupliciter profert (= Vulg.) aut flectens in gen. *Moabitarum* Mc. II, 23 et acc. *Moabitas* Mc. IV, 24, aut indeclinabile proferens (= LXX) Scorp. 3: *ad filias Moab* (Num. 25, 1). — Princeps denique ille malorum spirituum, „dei desertorum," diabolus, Hebraico nomine aut *Satan* (= שָׂטָן = *σατᾶν* raro in novo test.) dicitur semel apud Tert. (Mc. III, 20), aut multo saepius forma declinabili *Satanas* (— *ae*, = *σατανᾶς*) ex novi test. usu Sp. 8. 23; Mc. V, 6. 7. 9. 12; etc.; Scorp. 15 *Satana* (vocat.; cr; reliq.: *Sathanas* = *σατανᾶ* Mt. 4, 10); Vulg.: *Satanas*); Ap. 22 *Satanan* (acc.; cr.,) at Mc. IV, 26; V, 6 *Satanam*.

§. 20. Alia nomina quaedam apud Tert. (et in Vulg.) flecti non solent nisi in casibus quibusdam. Sic primogeniti hominis nomen, *Adam*, flecti apud Tert. (et in Vulg.) non solet nisi in gen. et dat. formam *Adae*, cf. Mc. II, 2, 8; Herm. 3; C. C. 8; 16. 17; R. C. 26; 49 etc. — Nomen autem patriarchae illius, *Abraham*, aut in omnibus casus indeclinabile est apud Tert. (et in Vulgatae vet. test.) cf. C. F. II, 2; Paen. 2; Or. 8; Prax. 16; C. C. 20; aut saepius in gen. et dat. apud eundem (et in Vulg. novo test.) flectitur in *Abrahae*, cf. Id. 13; Pat. 6; Mon. 6; Mc. III, 5. 24; IV, 13. 34; V, 3. 4; Pud. 10. 20 etc., qui duplex vocis usus etiam Cypr. et Aug. et Sulpic. Sev. est. — Denique nominis avi Noachi *Methusala* sive *Mathusala* (ap. LXX et in Vulg.) indeclinabilis legis dat. formam *Mathusalae* C. F. I, 3 solius Tert. propriam.

Alia nomina propria ex scr. scr. allata Hebraica prorsus Latinas flexiones induerunt apud Tert. (et Eccl. et in Vulg.), quorum congerendorum initium fiat a legislatore illo Israëlitarum, Moyse, qui primo casu apud Tert. (et in Vulgatae vet. test.) non appellatur nisi *Moyses* (= *Μωϋσῆς* ap. LXX). Genetivi autem tres exstant formae apud Tert.: *Moysi* (= Vulg, v. t.) Ap. 45; Mon. 8; P. H. 42; Mc. I, 10; III, 21; IV, 20. 22. 28. 34. 39; V, 2; *Moysis* Pat. 5; *Mosei* Bapt. 9; An. 35. 37 (cr.); 57 (cr.). Dat. *Moysi* (= Vulg. v. t.) Mc. II, 26; IV, 39; Prax. 14; Iud. 9. Acc. *Moysen* (= Vulg. v. t.) Mon. 8; Mc. II, 26; III, 16; abl. *Moyse* (= Vulg. v. t.) Mc. I, 10; II, 26; III, 20; IV, 22. — Tertiam quoque declinationem sequuntur haec Hebraica nomina propria apud Tert (et in Vulg.): *Daniel* (praeter unum locum, Id. 18, ubi legis *Danielem*, et ibid. paulo infra: *de Daniel*), *Ezechiel, Gabriel, Ioël, Salomo* (praeter unum locum Pud. 18 (*proverbia Salomon*),

Samuel; alia autem eiusdem linguae nomina, *Esaias, Helias, Hieremias, Ionas,* primam sequuntur, cuius usus exempla afferre supersedere posse mihi videor.

§. 21. Per omnes autem casus indeclinabilia sunt haec summatim congesta nomina Hebr. apud Tert. (et in Vulg.): *Abacuc* (= Acc. Mc. IV, 39); *Amos* (= acc. Mc. IV, 15; V, 4); *Beelzebub* (= acc. et abl.: Mc. IV, 26. 28); *Bethlehem* (= abl.: Iud. 13); *Cain* (= acc. et abl.: Mc. II, 25; Val. 29); *David* (Mc. III, 20; IV, 10; 36; etc.; at Mc. IV, 36: *Davidem*); *Enoch* (= gen. C. F. I, 3); *Esau* (= gen., acc., abl.: Iud. 3; Mc. III, 24); *Iacob* (sc. patriarcha: Iud. 3; Mc. III, 24; IV, 1; Prax. 11; at *Iacobus*, sc. apostolus: Id. 12; Scorp. 15; Mc. V, 3; Prax. 15); *Ioseph* sc. patriarcha: Id. 18; C. C. 20; Prax. 16; sc. faber idemque vir Mariae: C. C. 7. 20; sc. Arimathaeensis: Prax. 16; at *Iosephus* scriptor: Ap. 19); *Isaac* (= acc. et abl. Mon. 6); Iob (= gen.: F. P. 2); *Ionathan* (= acc.: Mc. IV, 10; Vulg. *— as, ae*); *Melchisedec* (= gen.: Mc. V, 9); *Nathan* (= acc.: Mc. IV, 10); *Noë* (= gen.: Mc. II, 22; Prax. 16); *Osee* (sc. propheta, = gen. et acc.: Mc. IV, 42. 43); *Saba* (= gen.: Mc. II, 13; Iud. 9) etc.

Caput IV.

Generis vocum aliquot mutationes a Tert. factae.

§. 22. In generis vocum usu his in nominibus a ceteris scriptoribus Tert. invenitur discrepare: *Fratrum* appellatione masculina et frater dicitur et soror (germ. Geschwister) et a Tac. ac IC., et a Tert. Nat. II, 13 dicenti: *„Opem et Saturnum fratres recepistis;“* quemadmodum Ap. 9 *(filios pangere)* et Nat. I, 16 *(f. edere)* et Ux. I, 5 *(filiorum impedimenta) filiorum* appellatione liberi omnino intelliguntur ex usu vocis posterioribus non incognito, cui simile est, quod *parentes* dicuntur Mart. 2 et Scorp. 3 (*tria milia hominum a. p. proximis caesa*) quilibet consanguinei et propinqui, quae notio vocis cum posteriorum tum ICorum est. — *Prophetes* uno loco femina dicitur, Pud. 19, ubi ex scr. scr. haec verba affert: *„mulier Iezabel, quae se propheten dicit“* [= Vulg.] = **προφῆτιν** Apoc. 2, 20, cum alio loco (B. C. 11) *prophetae* feminina forma *prophetis* legatur. — Ap. 38 *animam dicit carnis inquilinum*, at

R. C. 46 *inquilinam*, et Mon. 15 *obstetrices carnifices* coniunctim leguntur. — Iusto audacius Or. 20 *crinium* castigatur *„leno operositas“* (= lenonia), et Diogenes ille homo mordax *„ille canicula“* appellatur. — Virgo et apud Tert. et apud alios scriptores eccl. (Hieron., Paul. Nol.) non modo femina dicitur virum non experta, (cf. V. V. 9 *virgo vidua*), sed etiam vir conjugii et veneris expers, cf. V. V. 8 *qui inter viros virgo est*; et ibid. 10: *viri tot virgines*, et Mc. IV, 10 *virgo homo*, unde vel dici possunt Or. 22: *virgines masculi*. Mirum in modum Val. 10 *feminam* legis adiunctam *mari*: *femina mas*, [cf. nostrum *Mann-Weib*]; et Ap. 15: *masculum Lunam*. — Ex bestiis commemoramus *serpentem* plerisque feminini generis, Tertulliano masculini Pall. 3: *nominandus est serpens*. — *Sepia* autem, ille marinus piscis, quem nos *Dintenfisch* dicimus, a Tert. solo masculine profertur Mc. II, 20, ubi haeretici Marcionitae ab eo *„sepiae isti“* dicuntur. — Ex *rebus inanimis* haec nomina afferamus: *Adeps*, vox antiquioribus scriptoribus crebrius feminina, posterioribus, imprimis Plinio, masculina, Tertulliano feminina est Iei. 6: *adipes, quas esui abstulit*. — *Margo* cum sit Ovidio et Plinio Curtioque generis masculini, a Tert. uno loco (Pall. 5: *„de qualibet margine vel ara“*) feminino adscribitur, itemque a Vitruv., Stat., Apul., Amm. — *Sulfuris* vocis fere ubique neutralis accusativum legis masculinum apud Tert.: Prax. 16 *pluens super Sodomam et Gomorram ignem et sulfurem*, quae verba ex scr. scr. (Gen. 19, 24) Prax 13 hoc modo citat: *„Etiam adhuc antiquior Genesis: Et pluit dominus super Sod. et Gom. sulfur et ignem,“* quo loco Vulgata quoque *„sulfur“* habet. — *Talio* ex lectione tralaticia Mc. IV, 16 (*„talione opposito“*) masculino generi a Tert. ascripta videtur esse, (etsi alii legunt: *opposita*), nisi forte Oehler recte locum intellexit seiungens distinctione has duas voces. — *Unio*, si idem valet quod *unitas*, Tertulliano et insequentibus Eccl. feminini generis est, cf. Prax. 19 et 20 (*„salva est unio divinitatis“*); Mc. I, 5 *unione* (sc. *divinitatis*) *iam excessa*.

Iam ea congerantur nomina, quae generis communis esse dicuntur. *Antistes*, vox fere masculina, ter apud Tert. feminina profertur: C. F. II, 1 *pudicitia* dicitur *templi aeditua* (alia lectio: *aedituus*) *et antistes* (alia lectio: *antistita*); Mon. 8 *„monogamia et continentia“* dicuntur *„duae“* (alia lectio: *duo*) *antistites Christianae sanctitatis*; et Pall. 4 *„latrinarum antistes“* intelligitur lena, qui vocis sexus etiam apud Liv. et Val. Max. legitur. — *Augurem*, pleris-

que masc. generis, An. 19 coniunctum legis cum nomine fem.: *„augur incommodorum vox;“* et T. A. 5 cum *anima (a. in omnibus augur)*, qui vocis sexus etiam apud Hor. et Stat. invenitur. — *Coheres*, modo in Dig. fem. gen., eiusdem apud Tert. est cf. R. C. 7: *caro consors et coheres animae*; quocum cf. R. C. 9: *caro liberalitatis dei heres.* — *Miles*, Ovidio soli etiam fem. generis, R. C. 9 adiungitur *carni*, quae *„testimonii dei miles“* dicitur. — *Prospex* (*„in eventibus“*) denique *anima* dicitur An. 5 feminino sexu voci illato.

Bidens, instrumentum illud rusticum, quod nos *Karst* dicimus, ceteris generis masculini, apud Tert. uno eoque dubio loco neutraliter legitur C. F. I, 5: *nullum* (alia lectio: *nullus) bidens.* —

Nomen illud numerale duo hac ipsa forma, qua a ceteris scriptoribus masculinis vocibus adiungitur, apud Tert. cum feminina voce coniunctum legis Mon. 4: *Ex omnibus bestiis ex omni carne duo induces in arcam* (Gen. 6, 19; Vulg.: *bina).* — In genere vocis diei nequaquam sibi constare Tert. invenitur (aeque ac Vulg., cuius ex. gr. cf. Lev. 23). Nam ex scr. scr. translatione affert illam fere quidem femininam, cf. Mc. IV, 24 et Scorp. 13 *illa die;* Pud. 20 *die septima;* Mc. III, 8 et IV, 43 *tertia die; tota die* Iud. 4; *prima die* Iei. 9 etc.; sed non raro indidem masculinam (= Vulg., cf. Gen. 1. 2): cf. Mc. I, 20 et V, 4 *dies magnus*; Prax. 22 *dies meus;* R. C. 23 *in illo die;* Bapt. 19: *in die festo* etc. Ipse autem modo dicit: *in illo die* Mart. 5; *dies dominicus, octavus* Id. 14; *in quo die* Mc. IV, 12; *dies domini magnus, dies ultimus et occultus* R. C. 22; modo: *die prima* Iud. 8; *die crastina* Ap. 39; *una die* Pat. 12. Ista inconstantia optime cernitur ex his locis: Mc. IV, 42 legis: *Hic erit dies, de quo Amos* (sc. dicit): *Et erit illa dies etc.*; vel Ux. I, 5, ubi uno capite *„in illa die“* et paulo infra *„a die illo“* legis. Plurali autem numero non legitur *dies* nisi masculine: cf. *dies festi* Mc. I, 20; II, 22; Id. 14; Iud. 10; *d. magni* Mc. V, 4 etc.

§. 23. De Graecarum paucarum vocum sexu a Tert. immutato haec memorare libet: Val. 9 *Aeonum* Valentini unus (*Sophia) „novissima natu“* vocatur; et *abysso* genus femininum impertitur etiam a Tert. cf. Herm. 32 (*a. facta an nata).* — *Bombyx* insectum a Tert. solo feminino sexu usurpatur Pall. 3. — *Martyr* autem communis generis est apud Tert. primum: cf. *Christianus m.* Iei. 12; et *Perpetua*, *fortissima m.* An. 55, tum etiam apud Prud. —

Figurae illae typicae arcae foederalis Hebr. operculo infixae, *Cherubim* (et *Seraphim*, angeli, in Vulg. Ies. 6 masc. gen.) uno loco neutraliter leguntur Mc. II, 22 (*Ch. et S. aurea*; Vulg. Ex. 25, 18 *Ch. aurei*).

Infinitivi cum attributis coniuncti neutrales habentur etiam a Tert., cf. R. C. 7: *totum vivere animae carnis est;* et An. 45: *Sapere enim nostrum licet obumbretur, non tamen exstinguitur.*

Huc usque hac minuta commentatione particulam istam latinitatis Tertulliani explicandae deduximus ipsi nostrae disputationi instituendae prooemii ac quasi promulsidis loco praemissam; nam quae adhuc exposuimus, tamquam analecta quaedam vel ramenta studiorum nostrorum in Tert. collatorum sunt. Quae si cui leviora videantur esse, is meminerit velim vel id, quod S. Augustinus monet (in extrema „Civitate Dei"): *„Quibus parum vel quibus nimium est, mihi ignoscant; quibus autem satis est, non mihi, sed Deo mecum gratias congratulantes agant!"* vel, quod princeps ille Germanicorum philologorum, Ritschelius, luctuosa morte nuper abreptus, dictitabat in litterarum studiis nihil leve esse, nihil pusillum. Litterarum enim studiosis cunctis templum quasi quoddam exstruendum esse amplissimum, quo in opere vel minutissimus aliquis lapillus pie allatus, dummodo diligenter atque artificiose dolatus sit, modicum quendam ac convenientem locum obtineat.

Utinam hi lapilli a nobis hoc „libellulo" allati aliquantulum conferant ad illustrandam aedem illam quasi sacram ecclesiasticae latinitatis, cuius angularem lapidem Tertullianum esse nos quidem contendimus. Huius ad structuram spiritalem propius inspiciendam multo largiorem hisce atque operosiorem materiam iam congessimus et secundum propositum nostrum in exordio huius libelli expositum quam plenissime, quoad mediocritati nostrae licebit, continuo et continenter allaturi et edituri sumus,

„si res et aetas et sororum
fila trium patientur atra,"

vel potius Deus Optimus Maximus, *„cui sit benedictio et claritas et sapientia et gratiarum actio et honor et virtus et fortitudo in saecula saeculorum!"*